



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vniuersa Theologia Scholastica, Speculatiua, Practica

Ad methodum S. Thomæ, quatuor Tomis comprehensa

Tanner, Adam

Ingolstadii, 1626

Dispytatio I. De ipsa sacræ Theologiæ scientia secundum se.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72856](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72856)

TOMVS I.
THEOLOGIAE SCHOLASTICAE.

PRIMAE PARTI SUMMAE
THEOLOGICAE S. THOMAE
AQUINATIS RESPONDENS.

DE S. THEOLOGIA IN GENERE; ITEM DE
DEO VNO, TRINO, ET CREATORE; EIVSQUE PRIMARIIS
operibus, Angelis, Caelis, &c.

DISPUTATIO I. PROOEMIALIS.

De ipsa S. Theologiae scientia secundum se.

S. Thom. p. 1. q. 1.

Magister & DD. in Prolog. lib. 1. Sent.

Argumentum & ordo Disputationis.



Agunt hac de re Scholastici Theologi, cum Magistro quidem sententiarum, Petro Lombardo, in Prologo, uti vocant, libri 1. sent. S. Thomas vero cum suis Commentatoribus in Summa part. 1. q. 1. Nos rem totam in quaestiones quinque dispartiemur. I. Agetur de existentia, necessitate, & utilitate S. Theologiae. II. De genere eiusdem, tam proximo, quam remoto. III. De obiecto, à quo differentiam sumit. IV. De proprietatibus & attributis eiusdem. V. De principijs.

QVÆSTIO I.

De existentia, necessitate, & utilitate S. Theologiae.

S. Thom. 1. p. q. 1. a. 1.



Absoluitur hac quaestio tribus dubijs. I. An, & qua ratione necessaria sit in Ecclesia doctrina Theologica & reuelata, quoad substantiam speclata. II. An & qua ratione necessaria & utilis sit Ecclesiae Theologia etiam Scholastica. III. An & quomodo ad salutem necessaria sit speciatim doctrina reuelata & Theologica, etiam de ijs rebus, quae de Deo naturali ratione inuestigari possunt.

D V B I V M I.

Utrum præter philosophicas & naturales disciplinas, necessaria sit in Ecclesia militante, doctrina alia de Deo sacra & reuelata; & quis Theologiae secundum substantiam spectat a necessitate modus & ratio.

S. Thom. I. p. q. I. a. I.

1 COnsuetum est ferè S. Thomæ, de cuiusque rei tractandæ, quæ naturæ limites excedit, necessitate primum agere, atque inde eius existentiam, existentiaque rationem inuestigare; conuenienter illi principio, quòd Deus & natura in necessariis non deficiant, iuxta Aristotelem lib. 3. de anim. text. 45. Quòd sit, ut quamuis alioqui hæc quæstio, An res aliqua necessaria sit, supponat quæstionem, An est, & ferè etiam quid rei; cum sit de attributo quopiam extrinseco, rei existentiam & essentiam supponente, tamen quando tractatur in ordine ad existentiam ipsius rei inuestigandam, rectè hæc ipsa quæstio anteponatur aliis: uti quidem etiam à S. Thoma tum hoc loco, tum in materia de gratia I. 2. q. 109. & in 3. p. de Incarnatione q. I. factum.

Ut verò & mens S. Thomæ hoc loco, & veritas ipsa rectè percipiatur. Notandum est I. cum doctrina sacra, quo nomine sæpe uti solet S. Thomas in hac quæstione, in genere quidem, nihil aliud sit, quam doctrina reuelata, uti colligitur ex S. Thoma ead q. I. a. I. siue doctrina quædam, naturalis rationis limites excedens, eam hac generali notione, non solum comprehendere Theologiam, quæ humano studio & ingenio discitur, ipsaque si de nititur, sed etiam ipsam fidem diuinam & supernaturalem.

Quare si loquamur de cognitione siue doctrina reuelata in genere, prout etiam fidem complectitur, dubium nullum est, quin doctrina eiusmodi sacra & reuelata, necessaria sit non solum ipsi corpori Ecclesiæ, sed etiam omnibus & singulis, imò etiam in singulis hominibus, saltem quoad habitum; quando quidem fides ea ratione utique, & quidem etiam medijs necessitate, necessaria est; quemadmodum ex certa & recepta doctrina tradit S. Thomas I. 2. q. 113. a. 4. & in 2. 2. q. 2. a. 3. & seqq. & q. 4. a. 7. & q. 6. a. 1. de qua re suo loco. Et quidem ipsam etiam alioqui fidem, ex parte quidem Dei docentis, seu reuelantis ac inspirantis, doctrinam: ex parte verò hominum discitentium, disciplinam rectè dici posse, bene aduertit Caietanus hic a. I. iuxta illud Ioan. 6. v. 45. & 46. Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audiuit à Patre & didicit, venit ad me; ubi de fide sermo est. Quæ de causa etiam Christus phrasi Apostolica dicitur Rabbi & Magister, seu Doctor noster; quia fidem veram homines docuit.

2 Sed de doctrina sacra ita generatim (vel etiam pro ipsa fide accepta) hoc loco apud S. Thomam non est sermo; ut habet communis sententia, contra Caietanum loc. cit. Tum quia ea res ad alium locum, præci-

puè materiam de fide, pertinet, ut dictum. Tum quia S. Thomas in articulis sequentibus, nulla facta distinctione, eandem utique doctrinam sacram, cuius hic necessitatem inuestigat, tradit esse scientiam, & speculatiuam, &c. Tum quia de illa doctrina loquitur, cuius in proœmio fecerat mentionem; asserens, se profecuturum ea, quæ ad sacram doctrinam pertinent: Item de qua in principio huius quæstionis ait, necessarium esse primo inuestigare de ipsa sacra doctrina, qualis sit, & ad quæ se extendat; nempe utrum sit scientia; vtrum speculatiua, &c. quæ utique non est alia, quam Theologia Denique hic a. I. ad 3. aperte hanc doctrinam vocat Theologiam & scientiam. Est ergo, uti locus ipse, & inscriptio, ac thema totius huius disputationis postulat, non solum in hac nostra disertatione, sed (ut communis aliorum interpretum sententia habet) etiam apud S. Thomam hoc loco, quæstio de ipsa sacra Theologiæ scientia siue disciplina, quæ supponit fidem, eamque explicat & defendit; quæque proinde tam à fide, quam ab alijs habitibus intellectualibus quibuscumque, etiam supernaturalibus aliquo modo distinguitur: siue re ipsa distinguatur ab habitu fidei, siue solum ratione, de quo suo loco q. seq. dub. 2.

3 Vnde notandum II. Etsi quidem Theologiæ nomine, quantum est ex vi vocis, generatim significatur sermo, siue ratiocinatio de Deo, ut notauit etiam S. Augustinus lib. 8. de Ciuit. Dei, cap. 1. quæ ratione id ab Aristotele etiam Metaphysicæ tribuitur lib. 6. Metaph. t. 2. & à scriptoribus quoque Ecclesiasticis Theologi nomen, sæpe etiam antiquis illis Poetis, Orpheo, Musæo, alijsque scriptoribus profanis de Deo differentibus, ut videre est apud Clementem Alexandrinum lib. 5. Stromatum, Eusebium lib. 1. de præparat. Euang. cap. 7. & lib. 2. à cap. 1. Augustinum lib. 18. de Ciuit. Dei, cap. 14. post Arist. lib. 12. Metaph. text. 55. & Ciceronem lib. 3. de nat. Deorum: in præsentia tamen Theologiæ vocabulum strictè accipitur, pro doctrina seu cognitione Dei aliquo modo sacra; & reuelata, non quidem immediate (alias enim à fide non distingueretur) sed mediatè; ac potissimum etiam de ijs rebus agente, quæ humanam rationem excedunt, ut explicat etiam S. Thomas hic q. I. a. I. Cuius etiam doctrinæ quasi notionem, & quid nominis declarans S. Augustinus lib. 14. de Trinit. cap. 1. ait, esse illam, quæ fides cognitur, miratur, defenditur, roboratur. Vbi expresse etiam supponit, eam à fide aliquo modo, si non re, certè ratione esse distinctam.

4 Notandum III. hanc ipsam sacre Theologiæ doctrinam dupliciter posse considerari: primò secundum se, & quo ad substantiam, prout abstrahit à modo, quo traditur, siue præse & more dialectico; siue fusc & Rhetorico quodam dicendi genere, non tam ad breuiter docendum & probandum, quam ad persuadendum & delectandum accommodato. Secundo quo ad modum; quatenus videlicet certa quædam, eademque breui, exacta, & dialectica methodo, atque simplici ac pressò orationis genere traditur; quæ ratione vocatur Theologia Scholastica; eam ob causam, quia in Scholis vsitata, & à Scholasticis Doctoribus, præcipue post Magistrum sententiarum, qui scripsit circa Annum Christi MCXL. in Ecclesiam inducta fuit. Hoc dubio agetur de neces-

sitate Theologiæ secundum se & suam substantiam; dubio sequenti de necessitate Theologiæ Scholasticæ speciatim.

Notandum IV. Cum necessarium dicatur duplex; videlicet necessarium absolute & simpliciter, & in ordine ad finem, iuxta Aristotelem 5. *Metaphysicæ* cap. 6. text. 6 non esse hoc loco questionem, an Theologia sit ens simpliciter necessarium; constat enim, præter Deum tale nullum esse; sed an & qua ratione sit necessaria ad finem, & quidem ultimum; ipsius scilicet hominis supremam beatitudinem consequendam, ut satis ipse etiam S. Thomas hic art. 1. declarat. His positis, ad præsentem dubitationem sequentibus assertionibus respondetur.

5 Assertio I. Theologica doctrina, siue Theologia sacra, secundum se & suam substantiam, iuxta præsentem rerum statum & conditionem, ac consequentiam Dei providentiam, in Ecclesia simpliciter est necessaria ad hominum salutem. Hæc est mens S. Thomæ hic art. 1. ubi simpliciter & absolute asserit, sacram doctrinam esse necessariam, ut magis patebit in fine dubij tertij. Idem docent Henricus Gandavensis in sua Summa artic. 13. quæst. 4. Gerson 1. part. in tractat. Exam. doctrin. part. 2. consider. 5. Alphabet. 18. Et consentiunt recentiores omnes, nemine Scholasticorum, quod sciam, contradicente.

Probatum primò ex Scriptura, Ephes. 4. v. 11. ubi dicitur: *Et ipse (Christus) dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem Sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi: donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi: ut iam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinae, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris* Ex quibus verbis hæc argumentatio deducitur. Si visque ad consummationem sæculi, iuxta divinam dispositionem & ordinationem, in Ecclesia simpliciter necessarium est officium Pastorum & Doctorum; maxime postquam Apostoli, Prophetæ, & Evangelistæ (eximij quidem illi etiam, ac primi Pastores & Doctores Ecclesiæ) in Ecclesia esse desierunt; tum sanè etiam necessaria simpliciter est Theologia, seu sacra doctrina, qua Doctores Ecclesiastici instituuntur & constituuntur; nemo enim sola & simplici fide efficitur in Ecclesia Doctor, ut ex eodem loco Apostoli patet, aliquos tantum, non omnes in Ecclesia fideles Doctores esse asserentis, ut expressè etiam patet 1. Corinth. 12. vers. 29. Sed verum est antecedens, ut ex citato antea loco Apostoli colligitur, quandoquidem ibidem dicitur, datos esse Doctores ad consummationem Sanctorum, in ædificationem siue stabilimentum Corporis Christi mystici, quod est Ecclesia, ne circumferamur omni vento doctrinae, & per nequitiam hominum à vera fide aberrantium, erroribus noxijs contra fidem circumveniamur; ubi Apostolus indicat; nisi Pastores & Doctores essent, futurum, ut brevis ac facile homines à fide deficerent, varijsque erroribus implicarentur.

6 Idem colligitur ex illo Tit. 1. v. 7. & 9. Oportet Epi-

scopum sine crimine esse, &c. amplectentem eum, qui secundum doctrinam est fidelem sermonem: ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt, arguere.

Si ergo simpliciter necessarium est, esse in Ecclesia, qui facultatem habeant, non solum ad sanam doctrinam fidei tradendam & persuadendam, sed etiam ad redarguendum eos, qui sanæ doctrinæ resistunt, colligitur planè, necessariam simpliciter in Ecclesia etiam esse S. Theologiam; sine qua facultas illa esse non potest. Idem in his locis docent & supponunt SS. Patres & Commentatores ibidem.

Secundò probatur assertio ab exemplo Christi & Apostolorum, & perpetuo usu ac praxi Ecclesiæ. Nam & Christus ipse, & Apostoli, ac deinceps SS. Patres omnes, fidem contra infideles, præsertim hæreticos, qui Scripturam aliquam sacram & revelationem divinam admitterent, suppositis cæteris signis & argumentis fidei, non aliter magis probaverunt ac defenderunt, quam ipsius Theologiæ usu; siue, cum scripturas vero sensu explicatas erroribus refellendis opponerent, siue cum ex eadem Scriptura consequentias & argumentationes conficerent, ad fidei doctrinam illustrandam, fideique dogmata stabilienda; siue cum argumenta contraria, veritatis revelatæ expositione dissoluerent, ut videre est Matth. 12. v. 3. 5. & 6. Matth. 21. v. 42. Matth. 22. v. 32. 43. & seqq. Marci 12. v. 27. & 37. Luc. 11. v. 30. & 31. Ioan. 3. v. 14. & cap. 5. v. 46 & cap. 7. v. 22. & 38. & cap. 10. v. 34. Act. 2. v. 17. 31. & 34. Act. 3. v. 22. & 25. Act. 3. v. 26. Act. 7. v. 37. & 49. Act. 8. v. 35. Act. 10. v. 43. Act. 13. v. 33. & seqq. & alibi in epistolis Apostolorum passim.

Eadem de causa magna semper cura viguit in Ecclesia, ut Theologiæ S. præsertim eius, quæ in Scriptura explicanda versatur, studium publicæque scholæ extaret. Quomodo Eusebius lib. 5. hist. cap. 10. (circa annum Christi CLXXX.) scribit Pantænum, Philosophum Christianum, virum omni humaniore literaturâ præclarissimum, institutioni Christianorum Alexandriae præfatum fuisse: *Quo quidem in loco, inquit, consuetudine ab antiquis temporibus ductâ, sacrarum litterarum schola habebatur; quæ est ad nostram usque ætatem continuata: quam sanè ab hominibus cum politiore doctrinâ & eloquentiâ mirè instructis, tum sacrarum litterarum studio probe exercitatis frequentatam accepimus.* Ita Eusebius; qui etiam ibid. cap. 11. & lib. 6. cap. 5. & 7. scribit Pantæni Auditorem, ac postea etiam in eadem publicâ professione & scholâ Alexandrinâ successorem fuisse Clementem Alexandrinum; huius verò Origenem; de quâ re Cæsar Baronius Anno Christi CXCVI. Romæ verò sacrarum litterarum publicam scholam, hortatu Cassiodori, primus aperire conatus fuit Agapetus Pontifex circa Annum Christi DXXXV. sed bellicis tumultibus ab incepto reuocatus fuit, ut ex Cassiodoro præfat. diuin. Instit. refert Baronius eodem Anno.

Sed & postea in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. can. 11. decretum fuit uniuersim, ut in omnibus Ecclesijs Cathedralibus *Lectores scripturæ sacre*, ac præsertim eorum, quæ pertinent ad reformationem morum constituerentur, ut videre est etiam cap. *Quoniam*, & cap. *Quia*, de Magistris. Quod spectat etiam officium Scholastici in iisdem Ecclesijs; quod

cum postea in nudum ferè titulum degenerasset, id rursum ad pristinum usum & statum reuocare studuit Concilium Tridentinum sess. 5. cap. 1. & sess. 23. cap. 18. de Reformat. Taceo Academiis quamplurimas auctoritate Romani Pontificis eo sine erectas, amplissimisque priuilegijs dotatas, vt illic studium potissimum sacrarum literarum & Theologiæ effloresceret; essentque ipsæ velut quædam virorum doctorum seminaria, & Ecclesiæ Catholicæ propugnacula, æ quibus omnes infidelium, præsertim hæreticorum hostiles insultus sustineri, frangi & disijci possent. Quæ omnia in ipsa Ecclesiæ vsu posita, satis etiam necessitatem S. Theologiæ demonstrant.

8 Tertiò probatur eadem assertio ratione. I. Ea enim doctrina, quæ fides vera gignitur, nutritur, defenditur, roboratur, est vtique Ecclesiæ simpliciter necessaria; quandoquidem Ecclesiæ sine verâ fide esse non potest; sed Theologia est talis; vt expressè tradit S. August. lib. 14. de Trinit. cap. 1. vbi ait: *Huius scientiæ tribuitur id, quod fides saluberrime gignitur, nutritur, defenditur, roboratur.* Ergo, &c.

II. Quia nos ita naturâ constituti sumus, vt rerum obscurarum & difficillimarum (quales nobis per fidem præcipuè proponuntur) firmum assensum nec recipere, nec constanter retinere possimus; nisi sint non solum, qui eam aptè proponere, aptisque argumentis credibilem reddere, sed etiam contra Adversarios, præsertim si quæ doctrinæ & auctoritatis specie polleant, defendere ac propugnare possint: hoc autem est officium Theologiæ: Ergo, &c.

III. Necessarium est, tum ad securitatem fidei retinendam, tum etiam ad perfectionem eius, & plenam vitæ humanæ directionem consequendam, scire non solum ipsa fidei principia, sed etiam quid ex principijs fidei consequens sit: hæc autem cognitio propria est Theologiæ, vt inferius habebit: Ergo, &c. Maior propositio declaratur. Tum quia cum alioquin humanum ingenium suâ naturâ soleat ex cognitio vterius ratiocinando ad incognita procedere, nisi cognitionem habeat eorum, quæ ex fidei principijs rectâ ratione colliguntur, faciliè in graues errores contra fidem incidet; quibus proinde fidei sinceritas non parùm contaminabitur. Tum quia multæ propositiones Theologicæ, & ex principijs fidei deductæ, per se etiam necessariae sunt, siue ad fidei perfectionem; vt est doctrina de transsubstantiatione in scripturis aperte non asserta, sed inde deducta; siue ad vitam rectè instituentiam; vt est v. g. veritas illa Theologica, quod omnes teneantur diuino iure peccata mortalia omnia in specie confiteri; item quod Communio Laicorum sub vnâ specie nulli præcepto diuino repugnet, &c.

Denique experientia ipsa docet, fidem non aliâ ratione faciliùs labefactari, quàm defectu virorum doctorum; vt tam veterem, quàm recentem historiam serienique temporum expendenti faciliè patebit. Quod etiam significat Propheta Isaias cap. 56. v. 9. *Omnes bestie agri venite ad deuorandum; vniuersæ bestie saluis. Speculatores eius cæci omnes, nescierunt vniuersi; canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes & amantes somnia, &c.* Vbi Propheta indicat, tacentibus pastoribus, non secus à demone & ministris eius hæreticis vastari fidem populum, atque à fetis grassantibus innoceum pecus. Et clariùs ac bre-

uius Sapiens Prouerb. 29. v. 18. *Cum Prophetia (seu verbi diuini apta propositio & declaratio) defecerit, dissipabitur populus;* nimirum per varios errores.

Dixi tamen in assertione, Theologiam in Ecclesiâ simpliciter necessariam esse, iuxta consuetam Dei prouidentiam; non enim negandum est, Deum per absolutam potentiam, posse etiam alijs modis, fidem in Ecclesiâ saluam & incolumem tueri, etiam absque Theologiæ & Theologorum interuentu; impediendo v. g. omnes fidei controuersias & dubitationes; & defectum ratiocinationis humanæ, internâ illustratione, seu nouâ reuelatione compensando, &c. Neque verò etiam iuxta consuetam Dei prouidentiam, ad fidem in Ecclesiâ conseruandam & tuendam simpliciter necessariam Theologiam intelligimus, quouis planè tempore, mathematicè loquendo; sed moraliter. Quamuis enim aliquo instanti, vel breuissimo temporis spatio, nullus penitus in Ecclesiâ esset Theologus (quod tamen nunquam accidit) non id eò necesse esset, continuò perire Ecclesiam: vt à simili patet ex necessitate vitibilis capitis Ecclesiæ; quod etsi aliquo breui temporis spatio per mortem Pontificis, sede vacante, esse desinat, nullum tamen id Ecclesiæ periculum creat.

9 Assertio II. Iuxta ordinarium & consuetum diuinæ prouidentiae modum, simpliciter necessaria est Theologia, non solum pro ipsâ communitate Ecclesiæ, vt nempe fides ad plures perueniat, & à pluribus constanter retineatur; sed etiam pro singulis, saltem mediâtè. Ita Gregorius de Valentia q. 1. p. 2. nec reipsâ dissentiant alij. Ratio est. Quia cum fides in planè obscura & difficilis sit, cumque omnibus, qui in Ecclesiâ sunt, fidelibus, multa passim contra fidem dubia difficultatèque, siue demone naturalive ratione suggerente, siue ab hæreticis ac infidelibus obijciantur; aut sanè iuxta præsentem huius mundi statum faciliè occurrere & obijci possint, idcirco, moraliter loquendo, necesse est, singulis constare, esse viros doctos in Ecclesiâ, per quos fides, solutis quibuscunque aduersus eam obiectionibus, defendi & explicari ita possit, vt nemo propterea ab eâ prudenter dimoueri debeat: id quod proprium est Theologiæ officium.

Accedit etiam hæc ratio. Nam si Theologi non essent, tum nec vulgares quidem fidei prædicatores essent: hi enim illorum auctoritate & doctrinâ nituntur. Quod si nemo prædicaret fidem, tunc iuxta consuetum diuinæ prouidentiae modum, nemo etiam reciperet fidem, nemo retineret: quia iuxta Apostolum Rom. 10. v. 17. *Fides est ex audiu.* Et supra v. 14. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?* Quod si aduultor nemo crederet, nemo etiam infantibus fidei sacramentum faciliè ministraret. Idem colligitur ex citato illo testimonio Ephes. 4. *Vt non circumferamur omni vento doctrinæ, &c.* quod ad singulos pertinet.

Dixi verò in assertione, mediâtè: quia plus argumenta non probant. Illum enim, qui immediatè docet aut persuadet fidem, non est necesse habere Theologicum habitum, vt rectè etiam notauit Gregorius de Valentia loc. cit. quandoquidem ad eum tantummodò spectat communia fidei mysteria simpliciter tradere, ac simul propositis communibus fidei motiuis, fidem eorumdem euidenter credibilem

facere.

facere, quod fieri potest etiam sine proprio Theologia habitu.

Dixi secundò, iuxta ordinariū diuinæ providentiæ modum, non solum quia Deus hunc statum rerum vniuersim immutare possit, vt circa præcedentem assertionem dictum; sed etiam quia iuxta communem & receptam doctrinam S. Thomæ de verit. q. 14. art. 11. ad 1. quam inter alios etiam asserit Franciscus Zumel hic, absolute fieri potest, vt quis sine villo prædicatore eterno fidem concipiat & conseruet, sola inspiratione & gubernatione interna Spiritus sancti ductus, aut interueniente in instructione & Magisterio alicuius Angeli, à Theologia habitu, saltem humano, minime dependente.

Id quod de puero in syluis solitariè nutrito, vt & de infideli in mediâ gentilitate nato, iuxta naturæ leges, quantum per auxilium, & gratiæ præuenientis possunt, viuenticibus, omnique humana ope destitatis, necessariò fatendum, vt rectè S. Thomas ibidem; cuius verba sunt hæc: *Dicendum quod non sequitur in conueniens, postea, quod quilibet teneatur aliquid explicitè credere, si in glorio vel inter brutia animalia nutriatur: hoc enim ad diuinam providentiam pertinet, vt cuiuslibet provideat de necessarijs ad salutem, dummodo ex parte eius non impediatur. Si enim aliquis taliter nutritus ductum naturalis rationis sequeretur, in appetitu boni & fugâ mali, certissimè est tenendum, quod ei Deus, vel per internam inspirationem reuelaret ea, quæ sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrus ad Cornelium, Act. 10.* Ita S. Thomas.

Præterquam quòd fieri posset, vt Deus ita hominem aut exterius gubernaret, aut interiori illuminaret, vt vel obiectiones contra fidem nullas perciperet; vel cerè ita contemneret, vt etiam si existimaret, nullum esse hominem, qui obiectionibus propositis particulatim satisfacere possit, adhuc tamen ob interna Spiritus sancti motiua constantè in fide persistere deliberatum haberet. Sed hoc providentiæ diuinæ genus communiter non est vtitatum, nec ordinariū, sed quasi extraordinariū.

10 Assertio III. Theologia tamen non est necessaria in singulis fidelibus, nec secundum substantiam. quidem. Ita ex communi rectè Gregorius de Valentia q. 1. p. 2. Dominicus Bannes, & Franciscus Zumel hica. 1. nullo Doctorum dissentiente. Probatur aperte ex illo 1. Cor. 12. v. 28. & 29. *Et quosdam quidem (non omnes) posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores, &c. Nunquid omnes Apostoli? Nunquid omnes Prophetæ? Nunquid omnes Doctores? &c.* Vbi aperte significatur, non omnes fideles habere talem habitum, quo fidem contra Adversarios defendant & doceant.

Idem expressè tradit S. Augustinus lib. 14. de Trinit. cap. 1. vbi ait: *Hic scientia (de Theologia loquitur) tribuitur id, quo fides saluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur: quæ scientiâ non pollet fideles plurimi; quamuis polleant ipsa fide: plurimum. Aliud est enim scire tantummodo, quid homo credere debeat, propter adipiscendam vitam beatam, quæ non nisi æterna est; aliud autem scire, quemadmodum hoc ipsum & pijs opituletur, & contra impios defendatur; quam proprio appellare vocabulo scientiam videtur Apostolus. Nimirum 1. Cor. 12. Alij datur*

Tom. I.

sermo sapientia; alij sermo scientia: quem locum paulò antea citauerat Augustinus.

Vnde etiam sumitur ratio. Quia in genere cognitionis, singulis ad salutem sufficit fides supernaturalis, cum adiunctis in homine iusto donis illis Spiritus sancti, quæ in intellectu consistunt; quæ absque adiunctâ Theologia non solum esse, sed etiam conseruari & perfici possunt. Neque enim omnes ex officio tenentur fidem docere & explicare, aut contra infideles defendere; quod proprium est Theologiæ officium, prout à fide distinguitur. Quare etiam si habitus Theologiæ reipsâ idem esset cum habitu fidei, vt nonnulli volunt, de quo infra suo loco, adhuc tamen Theologia ipsa non rectè diceretur in singulis necessaria; quandoquidem ratione nihilominus Theologia à fide distingueretur, eique maiorem saltem aliquam adderet accidentalem perfectionem, sine quâ fidei habitus secundum se & quoad substantiam optime consistere posset.

Contra hanc assertionem obijci potest illud 1. Pet. 3. v. 15. vbi Apostolus ad fideles vniuersim scribens ait: *Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de eâ, quæ in vobis est spe: sed cum modesti & timore, &c.* Quibus verbis significatur, omnes & singulos fideles paratos esse debere, ad reddendam suæ spei, siue fidei rationem. Vnde vterius colligi videtur, omnes etiam debere esse Theologos.

Ad hoc respondere forsan aliquis posset, fideles quidem paratos esse debere ad reddendam suæ fidei rationem, sed non singulos per se ipsos, sed vel per se, vel per suos Doctores: quo modo hunc locum Apostoli intellexisse videtur Aureolus in Prologo q. 1. de Theologia a. 1. circa opinionem S. Thomæ; vbi eum explicat de habentibus habitum Theologicum.

Sed verius est, Apostolum loqui etiam de fidelibus singulis, seruata tamen proportione debita. Dupliciter enim ratio fidei reddi potest; primò quidem, vt singulorum articulorum rationes ex proprijs principijs reddantur, & contra oppugnantem defendantur; simul etiam vt ea, quæ ex propositionibus reuelatis consequentia sunt; quæque eis aduersa, subtili ratiocinatione colligatur: & hoc est proprium Theologiæ, nec exigitur à singulis. Secundò vt quisque simpliciter ea, quæ necessariò omnibus credenda sunt, profiteri possit, allatis simul etiam generalibus rationibus seu motiuis credendi; vt g. dicendo, *Sic tenet Ecclesia. In hac fide mortui sancti: vt loquitur Hugo Cardinalis ibidem.* Et hoc tamen ad singulos pertineat, non tamen in singulis Theologiæ habitum postulat: cum ad hoc sufficiat ipsa fides, quæ sine talibus motiuis esse non potest, vt suo loco docebimus. Atque hæc de doctrinæ sacræ huc Theologiæ necessitate, quoad substantiam.

DVBIUM II.

An & qua ratione Theologia, etiam scholastica, Ecclesia necessaria & utilis sit.

S. Thom. 1. p. q. 1. a. 1.

Quid nomine Scholasticæ Theologiæ intelligatur, dictum est dubio præcedenti. Et certum

A 3

est, eam

est, eam magis quidem Ecclesie necessariam non esse, quam Theologiam secundum se & suam substantiam spectatam, ut per se patet; quod fit, ut assertio vltima præcedentis dubij ad Scholasticam etiam Theologiam in primis pertineat; sed hæc tamen ipsa etiam Scholastica Theologia aliqua ratione sit Ecclesie necessaria, controuertitur. Et controuersiam præcipuè mouet Sectarij huius temporis, qui Theologiam Scholasticam non solum necessariam, aut vtilem Ecclesie negant, sed insuper etiam perniciosam esse criminantur, ut videre est apud Lutherum in lib. contra Latomum, & lib. de abrogat. missæ priuatæ, Melancthonem in Apologia contra Parisienses, Caluinum lib. 3. Instit. cap. 2. sect. 2. Idque iam ante fecerat etiam Wicleffus apud Waldensem tom. 1. lib. 2. doct. fid. cap. 67. & seq. & ex parte Erasmi præfat. in opera S. Hilarij. Nos rem breuiter duabus assertionibus explicabimus.

Assertio I. Theologia quoad modum Scholasticæ tractationis, seu quod idem est, ipsa Theologia Scholastica ut sic, non est in Ecclesia ad hominum salutem necessaria simpliciter. Est extra controuersiam, & apud omnes Doctores certa. Ratio est manifesta. Tum quia etiam amplum illud & Theologicum dicendi, resque fidei exponendi ac tuendi genus, valet vtiq; ad docendum, persuadendum, & redarguendum; adeoque ad fidem gignendam, nutriendam, roborandam, & tuendam; quod officium Theologiæ esse diximus. Tum quia alias fatendum esset, mille & amplius annis, quibus nullus ferè erat Theologiæ illius Scholasticæ vltus, Ecclesiam necessariam rerum diuinarum doctrinam fuisse destitutam: quod est planè absurdum, & diuinæ providentiæ aduersum. Tum quia fides tempore SS. Patrum olim vel maximè viguit ac floruit; qui excellenti suâ doctrinâ, ad veram Ecclesiam Christi, & magnam gentilitatis partem perduxerunt, & ex hæreticis quam plurimos reducerunt: Orthodoxos verò ne deficerent, continuerunt & confirmarunt.

Assertio II. Theologia tamen quoad modum illius Scholasticæ Tractationis, adeoque Theologia ipsa Scholastica, Ecclesie Christi est vtilissima, adeoque necessaria, hoc præsertim tempore, ad bene esse. Hanc assertionem supponunt Scholastici omnes; neque enim tanto consensu ad tam fastidiosum & molestum scribendi laborem se contulissent, nisi rem Ecclesie vtilissimam præstare se existimassent. Eandem fustius tuerunt & explicant Melchior Canus lib. 8. loc. Theolog. cap. 2. 4. & seqq. Alphonfus Salmeron tom. 1. prolegom. in Euangelia, Gregorius de Valentia hicq. 1. p. 2. & recentiores omnes, cum S. Thomâ hoc loco.

Probat & declaratur assertio. Nam si rem omnem accuratè expendamus, tria ferè sunt Scholasticæ Theologiæ propria. Primum, verba, & genus orationis plantum, pressum, simplex, apertum. Secundum est methodus ac ordo, quo materia & argumentum omne Theologicum in suas partes, disputationeque, ac membra accuratè distinguitur; partibus siue disputationibus siue questionibus, articulis, sectionibus, siue dubitationibus subiunguntur; in singulis rursum articulis siue questionibus, & status questionis, si obscurus est, declaratur; & cum materia, postulat, argumentis in vtramque partem subtiliter

propositis, res tota accuratè discutitur, veritas deciditur ac firmatur, argumenta in oppositam partem obiecta dissoluntur; idque totum iuxta regulas & modum disputandi dialecticum. Atque hæc duo nemo sanus reprehendere potest; cum naturâ suâ ad quamlibet doctrinam tradendam & perdiscendam sint aptissima.

Tertium sunt res ipsæ; dum nimirum Theologus non solum ipsa fidei principia clarè & dilucidè proponit, exponit, confirmat, tuetur; sed vltioribus etiam progressus, ea quæ ex ipsis consequentia sunt, inuestigat; ac propterea etiam quandoque subtilioribus questionibus excutiendis occupatur, quam vt à vulgo, alijsve imperitioribus, sciri, aut capifacile possint, vel etiam debeant. Quod per se nemini improbabitur, qui nōrit, & plus scientiæ decere Magistrōs, quàm discipulos; & absque subiliore eiusmodi disquisitione, neque necessaria quidem fidei dogmata satis defendi posse: præterquam quod ipsa etiam eiusmodi principiorum fidei conlectaria ad vitam rectè instituendam, sæpe plurimum adferunt momenti, vt dictum dub. præced. certè quidem fidei doctrinam ijs mirificè illustratur.

Huc spectat, quod Theologia etiam aliarum disciplinarum naturalium, ac præcipuè Philosophiæ cognitionem in subsidium aduocat: quod nec Apollolis insuetum, vt videre est Act. 17. v. 28. 1. Cor. 1. v. 33. Tit. 1. v. 12. & SS. Patribus deinceps fuit vtilissimum: & ab iisdem disertè commendatum. De qua re videre licet Clementem Alexandrinum lib. 1. & 6. Stromatum, Augustinum lib. 2. doct. Christ. c. 16. 28. 29. 31. 36. 37. 40. Hieron. epist. 84. ad Magnum, & epist. 146. ad Damasum, Basil. orat. ad Adoloscētes, Damascenum lib. 4. fid. orthod. c. 18. Calliodor. in Cant. 8. & lib. 2. de Inst. diuin. lect. cap. 27.

Verba Clementis obseruatione dignissima, citato lib. 1. Stromatum sunt ista: *Vti quidem, inquit, sed non immorari & permanere in doctrinâ seculari admonet sapiens, &c. tam enim quidam ancillarum inuestigati materij, contemserunt Dominam Philosophiam; & ex ipsis alij quidem consenserunt in Musica, alij vero in Geometria, alij autem in Grammatica; plurimum autem in Rhetoricâ sed quæ admodum liberales, quæ stant in circulo (encyclia) disciplina, conferunt ad Philosophiam, quæ est ipsarum domina; & ita etiam ipsa Philosophia conuertit ad parandam sapientiam, (hæc Theologiam.) Est enim Philosophia quidem exercitatio; sapientia verò scientia rerum diuinarum & humanarum, & causarum ipsarum. Est enim sapientia domina Philosophiæ, sicut illa cuiusque prius auditur, discipline. Et multas inquit idem paulò superius, licet ad finem non conferant, artificiatim ornamentiū adferunt: & alioqui varia & multiplex doctrina, & variè probat id, quod adducitur, & catechumenis aduocationem adferens, ea quæ sunt præcipua dogmata, ad eorum, qui audiunt, persuasionem deducit, & ad veritatem. Est autem fide digna eiusmodi animum permouens persuasio, per quam, qui sunt doctrinæ studiosi, quæ male exagitur, suscipiunt veritatem; adeo vt neq; ipsa philosophia vita permittem adferat, &c. Hactenus Clemens, qui vti vltimè secularis doctrinæ in doctrinâ fidei & Theologiæ eleganter comprobatur, ita abulum sapienter, castigat.*

Idipsum etiam confirmat naturalis ratio; quandoquidem notitia & vsus Philosophiæ, ad res ipsas

sacras explicandas, que communes cum rebus naturalibus notiones habent, prorsus necessarius est: ut si agatur de hypostasi, de existentia, de essentia, de subiecto, de passionibus, de quantitate, qualitate, relatione, actione, passione, loco, duratione, efficientia, causalitate, compositione, itemque de cultu, veneratione, adoratione, iustitia, misericordia, &c. earum rerum, vel personarum, quæ ad Theologicam considerationem pertinent; necesse est plane, communes rerum illarum conceptus, prius ex Philosophia perceptos haberi; ne quis alioqui, uti Sectarij huius temporis ob Philosophiæ ignorantem frequenter accidit, in gravissimos errores labatur.

Eadem assertio confirmatur his duobus indicij, ab ipsis aduersarijs desumptis. Primum est. Quia si Theologia Scholastica ad fidem confirmandam & aduersarios fidei redarguendos ac conuincendos non plurimum adferret momenti, nunquam eam ipsi tanto prosequerentur odio, neque tam acerbè criminarentur: cum criminationis causam nullam aliam habeant, quam doctrinæ sibi aduersantis soliditatem: id quod potissimum in S. Thomâ cernitur. Ea que de causâ etiam non abs re notauit hoc loco Dominicus Bannesq. 1. a. 1. In omnibus Concilijs, etiam contra hereticos celebratis, post D. Thomam, omnia ferè dogmata ab illis decreta, desumpta esse ex doctrinâ S. Doctoris. Id quod patet in Concilio Viennensi sub Clemente V. in Florentino sub Eugenio IV. in Lateranensi sub Leone X. & Tridentino sub Paulo III. Iulio III. & Pio IV.

Alterum, quod Sectarij utique aliâ in Doctoribus Catholicis Scholasticæ Theologiæ methodum tractationemque reprehendant, hodie tamen ipsi met eam non paruo studio emulantur; ut videre est in controuersijs seu lucubrationibus quibusdam Gulielmi Wittakeri, & Ægidij Hunnij; qui etiam adeo contenti non sunt solâ dogmatum scripturæ propositione, ut sæpe ineptissima & absurdissima confectaria inde, malè sanaratiocinatione, exculpant; ut est v. g. commune illud Sectariorum pronuntiatum; nihil credendum diuinâ fide, nisi quod in scripturâ sacrâ particulatim tradatur. Item infantes omnes, dum baptizantur, actualiter credere; aut uti Caluini stæ docent, Infantes omnes Christianorum saluari etiam sine baptismo. Item proprium illud Lutheri, valere baptismum etiam in lacte, vel crenis factum; similiter & consecrationem Eucharistiæ, quamuis à diabolo factam. Itemque illud proprium Hunnij in lib. Sacramentis, cap. 13. vbi docet, si mater in loco solitario enixa sit infantem, eumque propterea quod moriturus videretur, baptizari; postea verò infans conualescat, debere matrem nulli hominum indicare, quod baptizari illum; sed tanquam non baptizatus esset, sinere illum in Ecclesiæ coetu denuo baptizari. Hæc & similia ergo dum ex scripturis corollaria, licet absurdissima, sibi colligere fas esse volunt Sectarij, cur non liceat Theologis Scholasticis longè meliora, veriora, solidioraque rectâ ratiocinatione inde deducere.

Quæ omnia si lector accuratè expendat, aperte intelliget, in Theologiâ Scholasticâ, Sectarios, nec verba, nec ordinem aut methodum, nec consequentiarum, siue dialecticæ, aliarumve disciplinarum y-

sum propriè reprehendere, quando hæc & ipsi in suâ pseudo Theologiâ imitari student, sed solam doctrinam. Defenderent scilicet Theologi nostri, ipsædem planè verbis, eademque methodo Scholasticâ, Lutheri, Caluini. Zwinglij doctrinam, iam Scholastica Theologia ab illis supra cælos eueheretur, que nunc, ob solam Catholicæ doctrinæ veritatem, ad inferos usque deprimitur. Interim nos ipsi quædam in Scholasticis quibusdam antiquioribus vitia (multis tamen plerumque virtutibus egregiè compensata) vitro agnoscimus: ut quod nonnullis quandoque parum vtilibus questionibus, sæpe etiam alienis commentaria replerint; quod subinde contentioneibus, ac studijs partium nimium additi: quod sua scripta sacræ scripturæ, SS. Patrum, & Conciliorum sententijs ac decretis minus instruxerint; quod methodum non semper exactam seruârunt. Ut de seculi illius barbaricè nil dicamus.

Cuius generis vitia etiam ipse S. Thomas notauit; sed & egregiè etiam corrigere ac deuitare studuit, ut initio suæ summæ ipsemet præfatur his verbis: *Considerauimus namq. huius doctrinæ notitios, in ijs, quæ à diuersis scripta sunt, plurimum impediri: partim quidem propter multitudinem inuicem questionum, articulorum, & argumentorum; partim etiam, quia ea, quæ sunt necessaria talibus ad sciendum, non traduntur secundum ordinem disciplinæ, sed secundum quod requirebat librorum expositio, vel secundum quod se præbebat occasio disputandi. Partim quidem, quia eorundem frequens repetitio, & fastidium, & confusio generabat in animis auditorum.* Ita S. Thomas.

Sed nos vitia, ut dictum, non laudamus, sed ipsam per se Scholasticam Theologiam, uti potissimum à Magistro sententiarum initio tradita, atque à S. Thomâ postea illustrata fuit, commendatione dignissimam censemus. Quanquam non negandum, ad eam ipsam Scholasticam Theologiam, etiam à posterioribus Theologis huius seculi, quos & maior copia librorum instructiores reddidit, & ipsa tempora, hæresonque variè circumstrepentium insultus, ad scripturæ sacræ, sanctorumque Patrum ac Conciliorum diligentiorè lectionem & studium, compulerunt, non exiguum decus ac robur accessisse. Quâ de causâ etiam in assertione dixi, hoc potissimum tempore, quo tot hæresibus Ecclesiæ infestatur, breuitate illâ, methodo, & robore Scholasticæ Theologiæ in primis opus esse.

Quæ verò contra hanc assertionem Sectarij obijciunt, nullius momenti sunt, & ferè soluuntur ex dictis; ac videri ex instituto possunt apud Gregorium de Valentia cit. q. 1. p. 2. & Gabrielem Vasquez q. 1. a. 1. disp. 3. cap. 3. 4. 5. 6. Illud solum obseruandum: In scripturâ, & apud SS. Patres, nonnunquam reprehendi secularis Philosophiæ, ac præcipuè Dialecticæ, in rebus diuinis usum, non absolute & per se, sed per accidens, si vel immoderatus sit, omnique altioris doctrinæ expertus; vel etiam arrogans & superbus, qui se fidei, altiorique lumini diuinæ reuelationis submittere dedignetur, uti accidit in Ethnicis Philosophis, & quibusdam etiam hæreticis, Eunomio, Aëtio, Sectatoribusque Theodoti, apud Eusebium lib. 5. cap. vltimo.

Alioquin sobrium usum Dialecticæ etiam in Theologicis disputationibus commendat S. Augu-

stinus, contra Cresconium, itidem Dialecticæ criminatorem lib. 1. cap. 13. 14. 15. 16. 17. & ex ipsis etiam sectarijs Wittakerus contra Bellarminum in præfat. in disputationibus requirit, ut quicquid dicitur, ad syllogismi regulas reuocetur. Beza in Colloquio Mompelgartenfi (pag. 45.) contra Schmidelinum disputans: *Hoc est concionari, inquit, non disputare: Ego libentissimè peterem, ut si logicè ageremus, sic enim melius apparerent omnia. Nec ignoras, quamuis aliud sit esse Logicum, & aliud esse Theologum, tamen etiam in Theologia λόγος habere locum; modo principia & confirmationes ex Theologia sacra petantur.* Hactenus Beza: ut cunque aliàs sectarij dialecticam in eiusmodi disputationibus enixè fugiant, non minus, quàm Luciferianus ille hæreticus, quem S. Hieronymus in dialogo contra Luciferianos, his verbis orthodoxo loquentem inducit: *Oro te, ut philosophorum argumentatione deposita, Christianam mecum simplicitate loquaris; si tamen non Dialecticos sequeris, sed piscatores, (Apostolos.) Non Philosophicè, sed Christianè mecum loquaris.* De quâ re contra Sectarios pluribus egi in Relatione de Colloquio Ratifponensi part. 3. cap. 2. & 3. & in Examine Hunniana Relationis de eodem Colloquio, cap. 4. 5. 6. 7. 8. 9. ubi speciatim etiam ostendi, quanto odio Lutherus Dialecticam fuerit profecutus.

D V B I V M III.

An & quo modo necessaria sit ad salutem doctrina reuelata & Theologica, etiam de ijs rebus, quæ de Deo naturali ratione inuestigari possunt.

S. Thom. 1. p. q. 1. a. 1.

Expositum est hactenus, quam ratione ad salutem necessaria sit doctrina sacra & Theologica, tum vniuersè de rebus ac veritatibus salutem concernentibus: tum potissimum de illis veritatibus, quæ rationem naturalem excedunt; ut sunt pleraque ac potissima fidei pronuntiata ac mysteria: restat verò nonnulla dubitatio, de ijs speciatim veritatibus, quæ cum ad salutem quidem hominis pertineant, per se tamen naturæ rationis lumen non excedunt, quales sunt istæ. Deum esse; vnum esse; eumque mundi Effectorem esse, ac prouidentiam curamque rerum creaturarum, præcipuè hominum genere, &c. Nec tam est quæstio de ipsâ Theologiâ propriè, quàm vniuersim de doctrinâ reuelatâ. Cui dubitationi occasionem præbuit S. Thomas hîc q. 1. a. 1. ut mox patebit.

Estque hac de re, ab alijs Scholasticis antiquioribus ferè prætermisâ, triplex Doctorum recentiorum sententia. Prima est Caietani hîc q. 1. a. 1. qui absolute docet, respectu harum veritatum Theologiam, seu doctrinam reuelatam tantum esse necessariam ad bene esse, non simpliciter.

Secunda Gregorij de Valentia ead. q. 1. punct. 2. qui dicit, non esse quidem simpliciter necessariam, singulis; in quo cum Caietano conuenit; esse tamen necessariam multis, adeoque ut omnes possint con-

sequi salutem, quantum est ex parte necessaria cognitionis eiusmodi veritatum.

Tertia est Dominici Bannis hîc q. 1. a. 1. Ludouici Molina ibidem d. 1. Gabrielis Vasquez eod. art. 1. disp. 1. qui contra Caietanum simpliciter asserunt, reipsâ & ex mente S. Thomæ, doctrinam reuelatam, adeoque Theologicam, simpliciter necessariam esse etiam respectu istarum veritatum, & non tantum ad bene esse.

Ut res hæc explicetur notandum primò, in præfati non esse quæstionem de omnibus veritatibus naturalibus collectiuè; nec etiam de quibuslibet singillatim. Constat enim, omnes veritates collectiuè acceptas, abiquè speciali reuelatione Dei, adeoque sine doctrinâ reuelatâ non posse cognosci, ut fatentur etiam Gregorius de Valentia, & Zumellocis cit. Quod etiam loco modo de quibusdam seorsim & singillatim acceptis verissimè dici potest; v. g. ad certum numerum stellarum; ad indiuiduos hominum complexiones; ad Angelorum proprias & vltimas differentias ac numerum; ad tot tamque varias plurimarum rerum naturalium antipathias & sympathias; ad eorum corporumque celestium substantiam, numerum, proprietates, vim & efficientiam; morusque exactè ac distinctè cognoscendos, &c. quæ tametsi ab Angelo, vel etiam dæmone fortassis, hominum alicui manifestari possent, ea tamen ipsa cognitio etiam nec planè naturalis iam esset, sed potius à superiori substantiâ reuelata; nec à dæmone solo, utpote mendaci spiritu profecta, vllam certitudinem parere posset. Sed neque Aristoteles, aut Philosophi vnquam cognouissent, tantam esse distinctionem inter naturam & suppositum; ut nec inter existentiam & subsistentiam; siue etiam inter quantitatem & extensionem localem corporis, si non ex fide, Theologica ratiocinatio id docuisset. Quæstio ergo solum est in præfati, de ijs veritatibus naturalibus, quæ etiam ad Deum pertinent; & quarum cognitio alioqui necessaria est ad salutem, ut sunt illa, quas diximus.

Notandum secundo, aliud dicendum esse, si loquamur de cognitione eiusmodi veritatum in genere; aliud si loquamur de illâ definite ac in specie, quantum ad salutem simpliciter necessariam est; quod rectè aduertit Molina hîc cit. a. 1. disp. 1. Et enim priori sensu res non difficulter decidi potest.

Breuitè enim dicendum est, (quod etiam primæ assertionis loco constituimus) ad certam ac firmam veritatum istarum cognitionem in genere, non esse necessariam simpliciter doctrinam reuelatam; nec omnibus & singulis, nec pluribus: sed tantum ad bene esse. Hoc sensu veram censè sententiam Caietani, & agnoscit etiam Molina loc. cit. Et est procul dubio mens S. Thomæ hîc q. 1. a. 1. ubi ita loquitur: *Ad ea etiam, quæ de Deo ratione naturali inuestigari possunt, necessarium fuit, hominem instrui reuelatione diuinâ; quia veritas de Deo per rationem inuestigata, à paucis, & per longum tempus, & cum admixtione multorum errorum, homini prouenit, &c. Itaque salus hominibus, & conuenientius & certius (non dicit, simpliciter) proueniret, necessarium fuit, quod de diuinis per diuinam reuelationem instruerentur.* Eodem modo loquitur lib. 7. cont. Gent. cap. 4. ubi propterea necessariam esse, docet reuelationem circa hæc diuina; quia plerunq,

inquit

inquit, *investigationi rationis humana falsitas admisceatur; & quia apud multos in dubitatione manerent ea, quae de Deo demonstrantur, & ut sic de facili omnes possent divinae cognitionis participes esse.* Neque verò contrarium docet 2. 2. q. 2. a. 4. quando etiam ibi plus non dicit, quàm reuelationem de eiusmodi veritatibus fuisse, necessariam, tum vt citius, tum vt plures; (quàm nimirum si sola demonstrationis seu naturalis rationis notitia & via suppeteret) tum etiam vt firmius eiusmodi veritatum notitiam homines allequerentur; proinde *investigationem naturalis rationis*, inquit resp. ad 1. non sufficere humano generi ad cognitionem diuinorum, etiam quae ratione ostendi possunt. Denique resp ad 2. indicat, etiam fidem diuinam eiusmodi veritatum requiri apud eos, qui euentiam carent: de qua paulò post.

3 Probatur assertio. Quia de Deo pauca sunt veritates naturales necessariò ad salutem cognoscendae; & ex se valde clarae & perspicuae; vt sunt illae, quas diximus, Deum esse, vnum esse, Creatorem seu effectorem rerum esse, prouidentiam rerum habere, &c. quas plerique Ethnici Philosophi euidenter cognouerunt, & sanè ita cognosci posse, ipsamet scriptura aperte docet Sap. 13. v. 5. *A magnitudine enim speciei & creaturae, cognoscibiliter potèrit Creator horum videri.* Et infra, v. 9. *Si enim tantum potuerunt scire, vt possent estimare seculum, quomodo huius Dominum non facilius inuenerunt?* Et similia habentur in epistola ad Rom. cap. 1. v. 20. vt suo loco disp. seq. q. 1. pluribus dicitur. Alij verò, qui huiusmodi demonstrationes non habent, partim etiam acquirere ipsi nonnullo studio; partim firmam saltem & indubitam de iisdem veritatibus fidem acquisitam, maiorum autoritate & vnanimi consensu nixam, sibi comparare facile possunt, vt mox iterum dicitur.

Posteriori verò sensu, tamesi quidem in primis tractata videatur hæc quaestio ab Auctoribus, quando signanter de harum veritatum cognitione necessarià ad salutem agunt, vix tamen potest hoc loco expediri; cum eius resolutio in de pendeat, An etiam istae ipsae veritates, non obstante earum naturali euentiam, possint, aut debeant, per diuinam fidem credi: si enim ita est, tum vtique non minùs ad salutem necessarià est de his doctrina reuelata (sine qua nulla est fides) inò etiam Theologica, iuxta discursum dub. 1. expositum, quàm de veritatibus supernaturalibus; cum fidei ratio obiectiua etiam de veritatibus eiusmodi naturalibus non minùs sit supernaturalis, ac diuinà reuelatione nixa; quàm de alijs; licet ex parte materialis obiecti sit discrimen, quòd illarum notitia in habentibus euentiam non possit absolute ita labefactari, sicut earum rerum, quae sunt solùm per reuelationem cognitae.

Si verò non est absolute necessaria fides de his veritatibus, vt fortè supponunt illi, qui negant simpliciter necessariam esse reuelationem, propter harum veritatum cognitionem, tum nihilominus adhuc restat quaestio, vtum in ijs, qui fidem diuinam earum veritatum non habent, necessariò requiratur ad salutem saltem euidens earundem veritatum cognitio per demonstrationem; vt quidem significare diximus S. Thomam 2. 2. q. 2. a. 4. ad 2. an verò potius ad salutem sufficiat etiam alia quaedam cognitio inferior earundem veritatum (supposità fide aliarum)

cuiusdam scilicet firmæ fidei humanae, praesertim coniunctae cum euentiam quadam morali; qualis est v.g. etiam de hac veritate, existere Romam; Aristotelem fuisse Philosophum, Ciceronem Oratorem, &c. Nam si fides humana earum veritatum (supposità fide diuinà aliarum) sufficit ad salutem, tum iterum fatendum simpliciter ad salutem necessariam non esse doctrinam reuelatam de his veritatibus, saltem regulariter & à toto genere loquendo. Omnes enim & singuli non minùs facile per fidem humanam, idque saepe etiam cum quadam euentiam morali coniunctam, tales veritates de Deo credere possunt, quàm per ipsam fidem diuinam, vt per se constare videtur: praesertim cum pleræque gentes, hoc saltem tempore, in eo consentiant, vnum esse Deum, &c. Quod si qui dissentiant, ijs tamen ordinariè, ac per se loquendo; non minùs per fidem humanam, quàm diuinam id credibile fieri posse videtur. Si autem non sufficit ad salutem firma fides humana de his veritatibus, supposità fide diuinà aliorum articulo, tum sanè oportebat Auctores, qui necessitatem reuelationis in his etiam veritatibus asseruerunt, id verbo saltem indicare, quod non fecerunt citati. Et sanè quia res hæc tota ad materiam de fide pertinet, exacta eius explicatio ad eum locum meritò remittitur.

Interim supponendo, vt in materia de fide Deo volente docebimus, neque medij, neque per se etiam praecipue necessitate necessariam esse ad salutem, vt hoc praesertim obiectum naturale, Deum, vt author est rerum naturalium, esse; prouidentiam earundem rerum habere, &c. per se ac separatim diuinà fide credatur; etsi quidem vt alijs fidei veritatibus supernaturalibus inuolutum est, ita credi necesse sit; sed sufficere, aut fidem diuinam illius obiecti, aut cognitionem euidentem saltem per demonstrationem, si non etiam per consentientem testificationem maiorum; simul tamen etiam minimum necessariam esse quandam saltem moralem euentiam eiusmodi veritatum naturalium, ex consentiente testificatione maiorum ortam; hoc inquam supposito, est hæc

4 Assertio II. Respectu eiusmodi veritatum naturalium de Deo, non videtur singulari ad salutem necessaria simpliciter doctrina reuelata & Theologica; sed tantum ad bene esse: etsi quibusdam sit necessaria etiam simpliciter. Prior pars huius assertionis, vt vidimus, est S. Thomae, Caietani, Gregorij de Valentia, locis cit. Nec dissentit Franciscus Zumel hic q. 1. a. 1. concl. 3. qui tantum asserit, necessariam esse doctrinam reuelatam & Theologicam, non quidem ad singulas veritates naturales, sed ad omnes: ita, inquit, *quòd sine doctrinà hac reuelatà necessarium est in plurimis errare*; quòd libenter concedimus, Nec plus probant argumenta contrariae sententiae apud Gabrielem Vasquez, & Dominicum Bannem locis cit. qui frustra Ethnicorum Philosophorum, vt Platonis, Aristotelis, Ciceronis, errores in rebus ad morès pertinentibus speciatim enumerat. Ratio assertionis patet ex dictis circa primam assertionem.

Posterior pars est non solùm Bannis & Vasquij, sed etiam Gregorij de Valentia, & Zumel locis citatis; & probatur ex eo; quia multi nec per se acquirere

possunt

possunt demonstrationes eorum veritatum; nec etiam vim earum ab alijs propositarum moraliter satis percipere, ob ingenij ebrietatem, & varias distractiones: imò multi nec morale quidem evidentiam eiusmodi veritatum acquirere possunt, ob locorum, in quibus degunt, barbariem, & prauæ educationis consuetudinem. Consequens est igitur, ex factâ superius hypothesi, quibusdam non tantum ad bene esse, vt facilius scilicet acquirant eiusmodi veritatum notitiam, sed etiam simpliciter (moraliter tamen) necessariam esse talium veritatum reuelationem, seu reuelatam doctrinam, tam fidei, quam etiam suo modo Theologiæ, vt in simili dictum. dub. 1.

Atque ex his iam colligitur primò, quod præcipuè à S. Thomâ hic q. 1. a. 1. spectatum fuisse diximus, Theologiam, siue Theologicam doctrinam, etiam prout à fide, seu reipsâ, seu formaliter distinguitur, existere in rerum naturâ: quia Dei providentiâ, in eiusmodi rebus, toti Ecclesiæ communitati necessarijs ad salutem, non deficit. Accedit, quòd suppositâ Theologiæ notionem, esse videlicet habitum, siue doctrinam, quâ fides exponitur, defenditur, illustratur, per se ex ipso quotidiano Ecclesiæ usu notum est, habitum eiusmodi existere.

Colligitur secundo, quamam vniversam sit mens S. Thomæ hic quest. 1. a. 1. dum absolute asserit & concludit, necessarium fuisse, *sacram doctrinam per reuelationem haberi*: quæ res non eodem modo ab omnibus explicatur. Nam omisâ sententiâ Caietani hic q. 1. a. 1. vbi docet, S. Thomam nomine sacræ doctrinæ intellexisse doctrinam formaliter vel virtualiter reuelatam in genere, prout abstrahit à fide, & Theologiâ, quòd iam dub. 1. resutauimus; sunt etiam alij, qui existimant, S. Thomam eo nomine non intellexisse Theologiam, prout à fide distinguitur, seu prout est habitus conclusionum, atque ad ipsam fidem tuendam spectat; sed prout aliquo mo-

do includit cognitionem etiam ipsorum principiorum; sive quia reipsâ idem sit habitus cum habitu fidei saltem acquisitâ, vt vult Gabriel Vasquez hic quest. 1. art. 1. dub. 1. siue quia Theologia etiam aliquo modo inuoluat eam cognitionem veritatum fidei, saltem veluti principiorum, quæ supponit, vt dicit Molina hic q. 1. art. 1. disp. 2.

Sed neutrum probatur. Tum quia nec contextus verborum S. Thomæ, nec scopus propositæ ibidem questionis satis saluatur; vt in simili ferè de Caietani sententiâ dictum dub. 1. præterquam quòd Vasquez falsò supponit, Theologiam esse eundem reipsâ habitum cum fide acquisitâ, vt inferens dicemus q. seq. dub. 2.

Dicendum est igitur cum Valentia hic quest. 1. p. 1. Zumel ibidem a. 1. quest. 1. & communi Recentiorum (vti agnoscit Vasquez) S. Thomam locutum fuisse de ipso Theologiæ habitu etiam secundum se, prout à fide distinguitur. Est enim hic eius processus. Pro antecedente sui Enthymematis sumit S. Thomas hoc principium, Necessarium fuit hominem, instrui per diuinam reuelationem, tum de rebus ac veritatibus, quæ naturale rationis lumen excedunt, vt est in primis ipse finis vltimus hominis, ex illo Isa. 64. *Oculus non vidit Deum, absq. te, quæ preparâsti diligentibus te*; tum etiam suo modo (iam hîc superius explicato) de quibusdam veritatibus Deum concernentibus, quæ aliqui humanâ ratione inuestigari possunt: In de his verbis concludit S. Thomas Necessarium itaque fuit, *præter philosophicas disciplinas, quæ per rationem inuestigantur, sacram doctrinam* (vtique Theologiam) *haberi*. Quandoquidem per se clarum est, suppositâ necessitate diuinæ reuelationis, seu doctrinæ immediate reuelatæ, necessariam etiam esse doctrinam illam, quæ ad eam doctrinam immediate reuelatam, persuadendam, tuendam, & exponendam ordinatur; qualis vtique est ipsa Theologia. Atque hæc de necessitate Theologiæ satis,

QVÆSTIO II.

De S. Theologiæ genere, tam proximo, quam remoto.

S. Thom. 1. p. q. 1. a. 2. 6. & 8.

Absoluitur hæc questio quinque dubijs. I. Vtrum Theologia sit habitus adheſiuus, atq. argumentatiuus. II. Vtrum sit opinio aut fides, seu diuina, seu acquisita. III. Vtrum sit scientia. IV. Vtrum sit scientia subalternata, scientia Dei, aut beatorum. V. Vtrum sit sapientia. An verò sit habitus supernaturalis & infusus, dicetur quest. 4. de attributis eiusdem.

DVBIVM I.

Vtrum Theologia sit habitus adheſiuus atq. argumentatiuus.

S. Thom. 1. p. q. 1. a. 2. & 8.

Supposita existentia & necessitate Theologiæ, recto ordine S. Thomæ hic q. 1. a. 2. mox genus eius

proximum inuestigare studet. Sed quia & id ipsum pluribus controuersijs implicatum est; atque simul etiam de remoto eius genere nonnulla à Scholasticis Doctoribus in dubium sunt vocata, quæ apud S. Thomam fuerunt extra controuersiam; idcirco necesse fuit, hanc de genere Theologiæ dissertationem in plura dubia dispertiri; atque ab indagatione remotioris generis initium sumere. Supponunt autem & admittunt omnes, id quod etiam ex se euident est, Theologiam esse habitum intellectus, non volun-

tatis

tati, aut alterius potentia; cum circa cognitionem intellectiuam versetur, vt ex dictis liquet. Solum inquiritur, qualis sit habitus intellectualis.

Et quod ad præsentem dubitationem attinet, vnus ac primus causam ei dedit Petrus Aureolus, qui floruit circa Annum Christi ferè M. CCC. XX. (vii ferè, & Durandus, Heruicus, Occam, &c.) & multa in Theologia Scholastica innouauit, tam Scotus, quam etiam S. Thomæ in multis aduersus; quem propterea sæpe ac diligenter, quamuis maiori ex parte necdum typis impressum, retulit Ioannes Capreolus, iam verò nuper primum Anno MDXCVI. Vaticana Typographia Romæ in lucem dedit. Is igitur lib. 1. sent. prolog. q. 1. art. 3. proposuit 2. & 3. aperte docet, habitum Theologiæ non esse adæsum, nec causantem assensum in intellectu, sed tantummodo declaratiuum, qui facit aliquid imaginari melius per intellectum, absq. omni adhesionem. Sed contraria sententia est vera, vt dicetur.

Assertio I. Habitus Theologiæ simpliciter & absolute est adæsum. Supponit S. Thomas hica 2. alijque Doctores communiter, qui docent, habitum Theologiæ esse scientiam; omnis autem scientia est cognitio adæsum. Speciatim autem Aureolum hac in parte refellunt Occam q. 3. prolog. Gabriel q. 7. prol. a. 1. Gregorius Arriminenis q. 1. a. 4. Maior q. 4. Vazquez d. 5. c. 2. Probatur I. Quia Aureolus ipse, loc. cit. agnoscit, habitum Theologiæ esse discursiuum: est autem de ratione habitus discursiuus, assentiri conclusioni per discursum deductæ. II. Quia Theologia, etiã vt habitus declaratiuus est, necessariò aliquid negat vel affirmat: idq. etiam sæpe mediante discursu; v. g. sensum huius loci esse istum, idè quod in alijs locis idem similibus verbis indicetur; aut quia ita intellexerunt SS. Patres; aut quia hic est linguæ facra, vel etiam græcæ idiomus; aut quia hunc sensum contextus ipse, & collatio eorum quæ antecedunt & consequuntur postulat, &c. III. Quia iuxta communem philosophiam, omnis actus intellectus componentis aut diuidentis, est aut negatio, aut affirmatio, adeoque si iudicium non absit, assensus vel dissensus; qui tamen ipse etiam cuiusdam partis contradictionis adhæsio est. At verò Theologiæ habitus iuxta Aureolum ibidem componit, diuidit, negat, affirmat, vtique non sine iudicio; vt etiam ex dictis patet.

Aliud est, si loquamur de sola apprehensione, compositionis aut diuisionis; seu negationis aut affirmationis; hæc enim apprehensio vtique esse potest, & sæpe est, sine assensu; vt cum apprehendo blasphemiam affirmationem Iudeorum, pronunciantium Christum habere demonium: hoc enim vtique fit absque assensu. Et ratio est. Quia sicut apprehendimus res alias, puta lapidem, lignum; nec tamen idè intellectus ipse efficit, aut recipit ipsum lapidem & lignum, ita etiam potest apprehendere affirmationem vel negationem aliquam, etiamsi interim cum iudicio nihil affirmet vel neget. IV. Apprehensio sola, etiam distinctissima, cuiuslibet discursus vel conclusionis Theologiæ, sicut etiam articulorum & veritatum fidei, esse potest etiam in quolibet Ethnico, Iudæo, heretico; sine omni fide: Theologia verò in infidelibus ac sine fide esse non potest: alioqui infideles esse possent in Ecclesia Doctores & Magistri

doctrinæ fidei. Denique habitus apprehensiuus tantum, in intellectu, non sunt alij, quam species; quæ quanto sunt expressiores, meliusque dispositæ & ordinatæ, tanto & clarius obiectum repræsentant, & intellectum melius perficiunt, ac iuuant ad perfectiorem apprehensionem obiecti. Quamobrem etiam citati rectè iudicant, eam sententiam Aureoli non solum falsam esse, sed nec intelligi quidem posse.

Obijcit præcipuè Aureolus. Si esset habitus adæsum, adeoque inclinaret ad assensum, tum vel esset scientiæ proprie dictæ, vel opinionis; neutrum est. Ergo, &c. Sed hoc argumentum facile dissoluetur ex sequentibus, vbi declarauerimus, qualis habitus in specie sit Theologia. Interim respondetur, falsam esse maiorem; & ex parte etiam minorem, vt inferius dub. 2. & 3. dicetur.

Assertio II. Habitus Theologiæ est habitus argumentatiuus. Ita S. Thomas hic q. 1. a. 8. & communis ac certa omnium Doctorum sententia; nec ipso quidem Aureolo repugnante, vt dictum. Probatur primò ex scriptura. Nam & Christus ipse, & Apostoli Theologiæ scientia argumentando vsi sunt; vt cum Christus Matth. 22. v. 32. contra Sadducæos ex illo loco Exodi 3. *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob, &c.* probat, mortuos viuere, adeoque esse resurrectionem mortuorum. Item cum ibidem v. 43. ex illo Psalmi loco, *Dixit Dominus Domino meo,* contra Iudæos probat, Christum non esse purum hominem, solumq. Davidis filium; naturali videlicet generatione, instar puri hominis ab eo propagatum. Ita etiam Apostolus 1. Cor. 15. v. 13. & seqq. à resurrectione Christi argumentatur ad resurrectionem communem. Et alia passim quamplurima his similia in scriptura noui testamenti, præcipuè in Epistolis S. Pauli reperiuntur.

Secundo idem probatur ratione. I. Quia per hoc maxime Theologia differt à fide, vt dicetur dub. sequenti. II. Hoc postulat triplex ipsius Theologiæ finis. Quorum primus est sacras literas declarare; quod fit partim auxilio peritiæ linguarum, aut etiam historiæ, vel Chronologiæ; partim collatione variorum locorum; sicuti & antecedentium ac consequentium: partim ex analogia doctrinæ fidei; partim argumento ducto ab auctoritate Patrum & Ecclesiæ: qua in re semper aliquem discursum interuenire necesse est: vt etiam circa præcedentem assertionem dictum: nisi forte quandoque in primo casu, si quando vno quasi intuitu, ex clara verborum significatione, sensus scripturæ percipitur; qui tamen non tantum est actus Theologiæ; quam partim grammaticæ; quoad nudam apprehensionem seu cognitionem mentis scriptoris; partim fidei, quoad assensum, vt rectè etiam indicauit Durandus prolog. q. 1. num. 6. & 9. vbi ait: *Theologiam, si accipiatur pro habitu, quo solum, vel principaliter assentimus his, quæ in sacra scriptura traduntur, & prout in ea traduntur, non differre à fide.*

Secundus finis Theologiæ est defendere res fidei contra Aduersarios; tum probando illas; tum etiam obiectiones soluendo: iuxta Apostolum ad Tit. cap. 1. v. 10. de Episcopo ita loquentem: *Et potens sit exhortari in doctrina sana; & eos qui contradicunt, arguere;* & Augustinum sæpius citatum lib. 14. de Trinit. cap. 1. *asserentem, hæc scientia defendi fidem & roborari.* Vbi

rectè

rectè notat S. Thomas hic q. 1. a. 8. si aduersarius aliquod principium reuelatum admittat, tum ex eo argumentari Theologum posse ad probandum aliud contra eundem; sicut ex auctoritate loci; scripturę disputamus contra Sectarios. Est enim hoc proprium Theologię, vt quemadmodum Metaphysica, cum sit suprema scientiarum naturalium, disputat contra negantem sua principia; si modo aduersarius aliquid concedat; ita etiam Theologia

Si verò aduersarius nullum principium reuelatum admittat, tum contra eiusmodi vniuersim negantes principia, non potest quidem Theologia ex proprijs argumentari; potest tamen & satisfacere argumentis obiectis; & credibilitatem fidei probare euidenter, ex generalibus fidei motiuis. Sed quod argumenti genus non est proprium Theologicum, vt rectè etiam notauit Gabriel Vasquez, cum recentioribus Thomistis hic q. 1. a. 8. & satis indicat S. Thomas ibidem, cum dicit, hoc casu *non remanere amplius viam ad probandum articulos fidei per rationem, sed ad soluendum rationes, si quas inducit contra fidem.* Tertius finis Theologię est ostendere, quid ex principijs reuelatis coniequens sit; quod vel maxime argumentationem requirit, vt perse notum est. Patet igitur ex triplici fine, siue actu Theologię, eam esse discursiuam.

4

Assertio III. Theologia est habitus discursiuus, siue argumentatiuus, tum ad probandas ipsius fidei veritates à Deo immediatè reuelatas, veluti principia sua; tum ad conclusiones & coniectaria ex ipsdem fidei principijs deducenda; hocque eius officium positissimum est. Hęc assertio, excepta vltima eius parte, est communis Doctorum, & apertè assertitur etiam à S. Thomā hic q. 1. a. 8. & omnibus Interpretibus: ibidem; vt & à Durando in prolog. q. 1. licet Aureoli. prolog. a. 1. aduersetur, vbi vniuersim contra S. Thomam assertit, *articulos fidei non esse principia in Theologia nostra, sed magis conclusiones.* Et infra ait, *totum est idem Theologorum esse ad articulos fidei, quasi ad conclusiones declarandas & defendendas.* Ratio patet tum ex dictis preced. assertionem. Tum quia vtraque argumentatio spectat ad eundem finem Theologię, vt dictum; & procedit ac nititur eadem ratione formali; nimirum principijs reuelatis. Tum quia talis argumentatio non potest spectare ad alium habitum; nam quod Aureolus assensum conclusionis deductę ex duabus creditis seu reuelatis propositionibus, aut ex vna credita & altera necessaria, immediatè non ad Theologiam, sed ad fidem pertinere dicit, cum tamen interim fateatur, fidem non esse habitum discursiuum; id nec inter se satis cohæret; cum ad ipsum vtiq; habitum discursiuum, non ad alium pertineat assentiri conclusioni; & infra q. 5. vberius refelleretur.

Vltima assertionis pars, principalis videlicet officium Theologię esse, deducere conclusiones siue coniectaria ex principijs fidei; quę ipsa principia probare, est doctrina S. Thomę cit. a. 8. item Petri de Aliaco in 1. sent. q. 1. art. 3. & communis Doctorum sententia, vt agnoscit etiam Durandus cit. q. 1. prolog. num. 8. & 48. licet ibidem ipse contrarium asserat. Probatur. Tum quia nulla scientia principaliter ac perse probat sua principia. Tum quia veritates fidei à summa veritate reuelatę, perse non indigent

probationes; sed propositione. Interim facile concedimus, absolute præstantius quippiam esse, ipsas etiam fidei veritates immediatè reuelatas probare; negamus tamen ideo, magis per se ac principaliter id muneris spectare ad habitum Theologię. Ratum sit ergo ac firmum, habitum Theologię esse tum ad hæsiuum; tum discursiuum siue argumentatiuum, iam qualis in specie sit videamus.

DVBIUM II.

Utrum Theologię habitus sit opinio, aut fides; seu diuina, seu acquisita?

Ad S. Thom. 1. p. q. 1. a. 1.

Nec istam quæstionem S. Thomas ex instituto tractat; supponens potius, eam, vti per se elaram, nulla indigere explicatione. Sed quia tamen, tum à veteribus quibusdam Scholasticis S. Thomam consecutus, tum à Recentioribus res hæc in dubium vocata est, necesse est eam ex instituto declarare.

Præsupponenda autem initio est, tam pro huius, quam sequentium aliquot dubitationum explicatione, diuisio intellectuorum habituum ab omnibus recepta, quam habet Aristoteles lib. 6. Eth. cap. 3. vbi ait: *Sunt autem ea, quibus anima affirmando, aut negando verum dicit, numero quinque. Hęc verò sunt: Ars, Scientia, Prudentia, Sapientia, Intellectus. Nam existimatione & opinione fieri potest, vt mentiamur.* Vbi Aristoteles, quinque habitus intellectiuos constituit, quibus semper verum dicitur, quos etiam ea de causa Aristoteles cap. præced. in fine virtutes intellectuales appellat: his subiungit existimationem & opinionem, quibus nonnunquam falli intellectum contingit: quas etiam nonnulli hoc loco pro eodem habent: vt videre est in quibusdam Notis ad libros Ethicorum adiectis, in Editione Venera Anni 1585. Alij communiter distinguunt; & quidem rectius, & magis ad mentem Aristotelis accommodatę; qui particula copulatiua, non autem explicatiua hæc inter se connectit.

Inter hos autem S. Thomas 1. 2. q. 57. a. 2. ad 3. pro existimatione habet *suspicionem*; cum ait: *Solus illi habitus virtutes intellectuales dicuntur, quibus semper dicitur verum, & nunquam falsum: Opinio verò & suspicio possunt esse veri & falsi, & ideo non sunt intellectuales virtutes, vt dicitur in 6. Ethic. cap. 3.* Eodem modo legit Scotus q. 3. prolog. Quę interpretatio & lectio textus Aristotelici videtur esse optima; non solum quia existimatio & opinio per se non differunt, sed etiam quia in græco textu pro existimatione & opinione, apud Aristotelem habetur *ἔσθ' ἡ δόξα καὶ ἡ εἰσαγωγή*. Significat autem apud græcos *ἔσθ' ἡ δόξα* non tantum existimationem siue opinionem, sed etiam *suspicionem*. Qua de causa apud Aristotelem eo loco, vniuersim septem habituum intellectualium genera recensentur; quinque quibus semper verum dicitur; duo quibus nonnunquam fallimur; nimirum suspicio & opinio. Quo loco opinio generatim accipitur, pro quoocunque assensu probabili fixo, & determinato ad alteram contradictionis partem; quia ratione et-

iam si-

iam fidem humanam comprehendit; ita ut omnis humana fides sit opinio; licet non omnis opinio sit fides propriè loquendo: quanquam & Aristoteles, quandoque fidem generatim pro assensu accepit, ut cum ait lib. 1. Top. cap. 1. *scientiam esse, quæ ex primis, vel ex ijs, quæ per primam fidem acceperunt, deducuntur.*

Vnde secundo notandum, etsi quidem, ut dictum, opinio rectè ac propriè ita generatim accipi possit & soleat, ut etiam humanam fidem comprehendat, tamen apud Scholasticos modo quodam loquendi strictiori, ne dicam magis proprio, hæc duo inter se distingui, ita ut fides humana seu acquisita (prout scilicet à diuina & supernaturali fide distinguitur) dicatur assensus proximè ac immediatè nixus testimonio humano; opinio verò assensus alia probabili ratione nixus, ut notauit Vasquez hic disp. 5. num. 4. licet ibidem addat: *Communiter tamen, inquit, pro eodem usurpamus fidem & opinionem; quod modo superius explicato accipiendum. In eundem sensum Canus lib. 12. loc. Theolog. cap. 2. ait: Fidem dicere, quæ non auctoritati proximè, sed rationi & syllogismo innitatur, absurdum est. Alioquin si prior propositio certa ex fide sit, posterior autem ratione naturæ, probabilis conclusionis fides erit, non opinio: quod plane falsum est. Eodem ferè modo loquuntur alij recentiores.*

Aliud quidem præterea discrimen inter fidem & opinionem assignat S. Thomas 2. 2. quæst. 1. a. 4. vbi dicit: Assensum quoad specificationem non à soli obiecti, sed voluntatis etiam motione procedentem, si quidem sit cum dubitatione & formidine alterius partis, esse opinionem: si autem sit cum certitudine, absque tali formidine, esse fidem. Sed hoc discrimen apud Doctores non est ita receptum: & verius est, ut in 2. 2. fusius dicitur, nec de ratione quidem opinionis esse actuale formidinem, ut rectè & ex communi tradit Vasquez ibidem, contra Occamum, Gabrielem, Arriminensem, & Maiorem infra: sed solum, ut quatum est ex vi mediij probabilis, quo tam fides humana, quam opinio nititur, possit quis dubitare. Ab vtraque verò distinguitur fides diuina, quod & certissima est, & quamdiu ipsa in intellectu perdurat, omnem dubitationem prorsus excludit.

His positis, circa propositam dubitationem, loquendo de Theologia propriè, prout est habitus gignens, nutrens, explicans & defendens diuinam fidem, ut supra diximus, sunt tres Doctorum sententiæ. Prima docet, Theologiam esse habitum fidei acquisitam, ita tamen, ut Theologus credat esse certissimam. Ita cum Occamo q. 3. prolog. Gabriele q. 7. prolog. art. 1. Arriminenfi q. 1. a. 4. Maiore q. 4. docet Vasquez hic disp. 1. n. 8. & disp. 5. n. 4. & 5. qui contra citatos addit, posse quoque vocari opinionem; eo quod assensus vel ex solo testimonio humano, vel ex signis, vel ex ratione deductus, fides acquisita appellari consueuerit: Esse autem cum formidine, vel sine illa, parum refert, inquit, ut fides vel opinio dicatur. Fundamentum huius sententiæ est; quod conclusio Theologica non nitatur propositionibus fidei, ut creditis fide diuina, sed acquisita tantum. Hoc enim posito, planè efficitur, habitum Theologiæ solummodo opinatum esse; utpote assensu tantum opinatum, seu fidei humanæ nixum.

Secunda sententia est, habitum Theologiæ esse habitum fidei non humanæ, sed diuinæ & infusæ,

quæ inter virtutes Theologicas numeratur. Tribuitur à Ludouico Molina hic q. 1. a. 2. disp. 2. Scoto; & videtur is quidem ita sentire in 3. d. 3. q. 5. q. 7. vbi asserit, eundem habitum esse, quo assentimur articulis fidei, & conclusionibus, quæ ex illis euidenter deducuntur: *scientia, inquit, & intellectus circumloquuntur habitus fidei, perfectum & imperfectum.* Et infra, ad argumentum, quo fuerat illatum, ut in scientia acquisita, ita etiam in infusa, alium debere esse habitum cognoscendi articulos; & alium cognoscendi consequentia vel explicata ex articulis. Respondet, consequentiam non valere: *quia in creditis, inquit, non assentimur propter euidentiam crediti, sed propter veritatem reuelantis; & illa est eadem respectu primorum articulorum, & respectu aliorum explicatorum ex illis; & ideo non est alius habitus vnus & alterius; quia est idem obiectum sub eadem ratione formali.* Ita Scotus.

Et in eundem sensum supra dist. 3. q. 7. v. dixerat, intellectum & scientiam in cognitione infusa, non dicere duos habitus; sed vnum fidei infusæ; qui secundum statum imperfectum dicatur intellectus; secundum perfectum scientia. *Per intellectum & scientiam, inquit, exprimitur fides infusa; ita, quod illa duo non circumloquuntur duos habitus, sed vnum tantum, secundum perfectum, & imperfectum, & c.* Potest enim intellectus dici fides imperfecta, quæ est noticia articulorum primorum: & scientia fides perfecta, quæ est explicata noticia de articulis. *sicut in scilicet naturæ libris intellectus dicitur esse primus, & scientia conclusio.*

Huc ex parte spectat etiam Aureolus q. 1. prolog. a. 2. quatenus & ipse etiam habitum, quo assentimur conclusionibus Theologicis, deductis ex duabus premissis reuelatis, vel ex vna reuelata, & altera euidente, eundem docet esse cum fide; negans videl. ipsum habitum Theologiæ esse adhæsiuum; ut dictum dub. præc. Ratio potissimum est, tum quia etiam conclusiones Theologiæ sunt de fide, & creduntur per fidem. Tum quia non videtur posse assignari essentialis differentia inter fidem & Theologiam.

Tertia verò sententia communis est Theologorum, qui Theologiam tam à fide acquisita, quam infusa distinguunt, ut mox diceretur.

Assertio I. Theologia non est idem habitus cum fide infusa, siue Theologica. Hanc doctrinam vbiq; supponit S. Thomas hic q. 1. vbi docet, Theologiam esse scientiam, sapientiam, & habitum argumentatiuum; fidem autem continere principia Theologiæ, adeoq; esse habitum principiorum respectu eiusdem, ut videre est art. 2. 6. 8. Deinde a. 6. ad 3. docet, Theologiam haberi per studium; cum fides diuina vtiq; sine studio infundatur infantibus. Idem sentit Bonaventura q. 1. prolog. sub fin. vbi apertè fidem à Theologica doctrina distinguit. Idem docet Aureolus q. 1. prolog. art. 3. proposuit. I quicquid superius dixerit.

Idem habet Durandus quæst. 1. prolog. à num. 6. vbi cum triplicem Theologiæ acceptionem distinxisset; 1. pro habitu, quo simpliciter cognoscitur ea, quæ in facta scriptura traduntur, & modo quo in ea traduntur. 2. pro habitu, quo eadem defenduntur, & declarantur ex quibusdam principijs nobis notioribus. 3. pro habitu eorum, quæ deducuntur ex articulis fidei, dicit, Theologiam primo quidem modo acceptam (quæ tamen acceptio huius loci minus propria est) non differre à fide; sed duo-

bus posterioribus modis acceptam supponit esse à fide distinctam. Et ibidem num. 15. ait, per fidem solum assentiri nos alicui, ut reuelatum est à Deo, & non ut est ab alio deductum deductione humana, seu extra scripturam; ubi aperte & recte fidem à Theologia habitu distinguit.

Idem ex communi docent Vega lib. 9. in Concilio Trident. c. 39. Caietanus hic q. 1. art. 1. & seqq. & in 2. 2. q. 1. a. 1. Bannes & Arragonius ibidem, Valentia ibidem, & hic q. 1. p. 3. §. 3. & punct. 5. §. 2. Molina hic q. 1. a. 2. disp. 2. Vasquez loc. cit. disp. 5. num. 5. & 6. Franciscus Albertinus tom. 1. princ. 3. per omnia corollaria. Denique Canus lib. 12. loc. Theolog. cap. 2. redarguens quosdam, qui Theologiæ consequentias dixerunt ad fidem pertinere. ait: *Quæ ratio ridicula est, & iure à plerisque reprehenditur. Est enim facile & apertum fidei Theologiæ q. discrimen, cum fides proximè, & ut sic dicam, immediate auctoritate nuntatur; Theologia verò proximè & immediate ratione. Habent enim se fides & Theologia non aliter, quam habitus principiorum & scientia conclusionum. Ita Canus.*

Neque ab hac sententia vniuersim dissentit Scotus. Is enim in 3. d. 24. q. vn. in responsione ad argumenta secundæ sententiæ aperte dicit, habitum Theologiæ, quo fides defenditur, esse distinctum ab habitu fidei: scito, inquit, quod simplices credunt omnia, quæ Ecclesia, implicite, nec sciunt fidem explicare vel defendere. Ideo illi, qui hoc sciunt, habent habitum distinctum à fide, sed non alio lumine, quam si fides. Nec iste habitus inuitur principis euidenter notis in aliquo lumine: isto tamen habitu non possent plurimi fideles; quia ille habitus distinctus est à fide. Ita Scotus.

Vnde etiam sententiam Scoti in hunc modum refert Aureolus in prolog. quæst. 1. art. 2. nimirum ex sententia Scoti (cit. lib. 3. distinct. 24. quæst. vnica.) habitum Theologiæ tripliciter sumi posse, primo pro habitu Prophetarum & Apostolorum, & aliorum scribentium libros sacros. 2. pro habitu, qui relinquitur ex sensu literarum scripturarum, eliciens nimirum simplicem assensum eorum, quæ sunt in scriptura. 3. pro habitu qui gignitur ex scripturarum expositione, & dubiorum solutione, & immixtione philosophiæ: & ex his primum esse habitum quendam euidentem fidei altiorem, vti que prophetiæ; secundum esse ipsius fidei; tertium verò habitum, ab utroque præcedente distinctum. Ex quibus patet, hanc esse communem tam veterum, quam recentiorum Scholasticorum sententiam, Theologiam, de qua in præsentia loquimur, esse habitum à fide distinctum.

4. Probatur assertio, primò ex dictis quæst. 1. dub. 1. assert. 3. vbi ex scriptura, & SS. Patribus probauimus, non omnes fideles habere habitum Theologiæ. Certè Augustinus ibidem citatus disertè ait, *hanc scientiam non pollere fideles plurimos, etsi polleant ipsa fide plurimum;* & ibidem cognitionem fidei à cognitione Theologica distinguit, ut dictum loc. cit.

Secundo probatur ratione. Tum quia ratio formalis obiectiua, seu obiectum formale Quo, siue ratio assentiendi, vtriusque habitus est diuersissima; nimirum sine discursu, & cum discursu; vt superius obiter ex S. Thoma, Durando, & Cano retulimus, & ex instituto declarabitur quæstione sequenti. Tum quia etiam in scientijs naturalibus habitus principiorum, distinguitur ab ipso habitu conclusionum

& scientiæ, vt docent etiam Scotus loc. cit. in 3. dist. 35. Durandus 3. d. 33. q. 1. ad 2. & constat ex Aristotele, qui habitum intellectus ponit distinctum ab habitu scientiæ 6. Eth. cap. 3. & 6. idem que supponunt veluti certum Molina loc. cit. Gregorius de Valentia to. 2. d. 4. q. 3. p. 1. & d. 5. q. 3. p. 2. & alij commuiter.

Etsi contrarium docet Vasquez hic q. 1. in comment. a. 1. num. 8 vbi ait: *Theologia, sicut quæcumque scientia, non solum complectitur notitiam conclusionum, sed etiam principiorum, quæ eidem scientiæ propria sunt. Neg. enim vnus est habitus distinctus circa principia, & alius circa conclusiones, sed vnus & idem, extensione maior. Ex-cipio, inquit, principia vniuersalissima, quæ non propria alicuius scientiæ, sed omnibus communiæ sunt: hæc enim ad diuersum habitum spectant.* Sed in primis hæc exceptio non videtur solida ratione niti: cum principia etiam vniuersalissima non aliter se habeant ad vniuersalissimam. hoc est, Metaphysicam scientiam, quam particularia principia (modo sint verè per se nota, quæ in illa scientia non probentur) ad scientias alias. Imò Durandus loc. cit. assertit, per habitum intellectus scientiæ oppositum, ab Aristotele loc. cit. intelligi solum habitum particularium principiorum; non quod vniuersalia ad scientiam habitum pertineant; sed quod illis sola vi naturali intellectus, sine omni habitu assentiatur; de quo tamen in præsentia non disputo. Deinde ipsemet Vasquez disp. 4. cap. 4. num. 9. ait: *Hoc solo differre intellectum à scientia, quod hæc est per discursum; ille verò sine discursu; in quo nobiscum, conuenit Scotus, &c.* Quod si ergo hæc differentia duos distinctos habitus constituit, quomodo vnus & idem habitus humanæ scientiæ potest sine discursu, & cum discursu assentiri? Atque ex dictis satis etiam patet responsio ad argumenta contrariæ sententiæ superius propoſita.

5. Assertio II. *Habitus Theologiæ, simpliciter dictæ (prout fidelium Doctorum proprius est) non est habitus opinatiuus, aut fidei humana siue acquisita.* Ita docet S. Thomas in hac tota quæstione varijs modis. I. quando art. 1. in corp. ait, *sacram doctrinam per reuelationem haberi.* Et ibidem ad 2. hanc scientiam tractare de rebus naturalibus, secundum quod cognoscuntur lumine diuine reuelationis. II. Art. 2. in corp. ait, *sacram doctrinam (ratione adiuncti habitus principiorum) credere principia reuelata sibi à Deo:* & ibid. ad 2. *sacram doctrinam fundari super reuelationem diuinam.* III. Art. 3. in corp. & ad 2. ait, *quæ in diuersis scientijs tractantur sacram doctrinam considerare sub vna ratione, in quantum sunt diuinitus reuelabilia; ut sic, inquit, sacra doctrina sit velut quedam impressio diuine scientiæ.* IV. Art. 4. in corp. rursum docet, *rationem formalem, quam in diuersis scientiarum obiectis attendit esse, quod sint diuino lumine cognoscibilia.* V. Art. 1. in corp. ait, *hanc scientiam habere certitudinem ex lumine diuine scientiæ.* VI. Art. 6. ad 1. ait, *sacram doctrinam non supponere sua principia ab aliqua scientia humana, sed à scientia diuina.* Et ibid. ad 2. dicit, *propriam huius scientiæ cognitionem esse per reuelationem.* VII. Art. 8. in corp. & ad 2. ait, *Theologiam argumentari ab auctoritate, quæ fundatur super reuelatione diuina.* In quibus omnibus locis patet, S. Thomam pro ratione assentiendi Theologiæ nusquam constituitur lumen, seu rationem, seu fidem humanam; sed lumen diuinum & supernaturale ipsius reuelationis diuine.

Idem

Idem docent communiter illi, qui dicunt Theologiam esse scientiam; vt dicitur dub. seq. Speciatim Aureolus quæst. 1. prolog. art. 1. sub fin. vbi dicit, *absonum esse dicere, habitum Theologia non esse nisi opinionem.* Idem aperte docent Caietanus, Canus, Gregorius de Valentia, Molina, Bannes, Zumel, Albertinus locis citatis; qui in hoc etiam conueniunt, ipsam fidem diuinam ac supernaturalem esse habitum principiorum nostræ Theologia.

Ex quo etiam probatur assertio. Quia habitus ille, qui ex principijs reuelatis, etiam vt creditis fide diuina, per euidenter consequentiam colligit suas conclusiones, ac propterea illis assentitur, non potest esse habitus opinatiuus, aut fidei humana, sed est eo multo excellentior & certior; vt agnoscat etiam ipsemet Vasquez loc. cit. & disput. 9. num. 12. Sed datur habitus eiusmodi Theologicus, qui ex principijs reuelatis etiam vt creditis diuina fide colligit suas conclusiones, ac propterea illis assentitur, hæcque ipsa est Theologia propria fidelium Doctorum: Ergo habitus iste Theologiae non est habitus opinatiuus, aut fidei humana; sed eo multo excellentior & certior. Maior constat, quia ratio formalis obiectiua fidei humana, aut habitus opinatiui, non potest esse supernaturalis, nec etiam euidens; sed solummodo naturalis & ineuidens: cum tamen assensus fidei diuinae utique sit supernaturalis, & nitatur ipsa auctoritate diuina. Idem dico, etiam si principio supernaturali addatur alterum principium euidens; quia nec ista potest esse ratio fidei humanae seu opinionis, vt dictum.

Minor probatur. Quia ex omni principio, quocumque demum assensu credito, possumus inferre conclusionem proportionatam principijs, ipsique assensui principiorum: Ergo etiam ex veritatibus reuelatis, vt creditis fide diuina. Et quia hoc etiam per se bonum est & laudabile; nec viris doctis habitibus fidei habitum, per auxilium gratiæ difficile, utique credendum est, Theologos fideles de rebus fidei differendo, eiusmodi habitum acquirere: idque eo magis, quo fuerint pij magis & illuminati, ac ipsius diuinæ fidei exercitationi additiores. Vt proinde prorsus non videam, qua ratione vniuersim negari possit, dari Theologiae habitum, qui nitatur principijs vt creditis fide diuina. Quod si eiusmodi habitus datur, nulla est dubitatio, quin sit ille ipse Theologiae habitus, de quo disputamus, proprius vt dictum fidelium Doctorum; nam acquisitus ille, vt fatetur ipse etiam Vasquez, potest non minus esse in hæreticis, quoad propositiones, in quibus non errant, quam in Catholicis, vt mox dicitur plurib. infra q. 4. dub. 1. vbi de naturalitate & supernaturalitate habitus Theologici differemus.

Assertio III. Potest tamen in Theologis, etiam Orthodoxis & Catholicis, esse habitus quidam Theologicus, opinatiuus, seu fidei acquisita, etiam de Conclusionibus Theologicis euidenter deductis ex principijs reuelatis. Quoad hoc placet sententia auctorum, quos primo loco retuli; quam ita etiam Anno MDCLX. in Academia Ingolstadtensi publicè docui; ac postea Anno MDCLXVIII. cum eandem illic materiam denuo prælegerem, non sine quadam animi voluptate reperi traditam, in edito interim opere, à nostro Christophoro Gil-

lio lib. 1. de Theolog. tractat. 2. cap. 7. numer. 4. & 5.

Probatur assertio I. Vbiunque datur ratio formalis obiectiua habitus opinatiui, illic fatendum est, etiam dari habitum opinatiuum; cum habitus iste ab alijs non differat necessariò ratione obiecti materialis, sed solum per rationem formalem obiecti: sed in Theologis etiam fidelibus, assentientibus conclusionibus Theologicis ob principia reuelata, locum habet ratio formalis obiectiua habitus opinatiui: Ergo, &c. Minor probatur: quia ratio formalis obiectiua habitus opinatiui, sunt principia vt probabilis solum ratione, seu fide humana credita: Atqui Theologi fideles conclusiones Theologicas colligentes, etiam ex principijs reuelatis per euidenter consequentiam, sæpe tantum ex ijs principijs argumentantur, vt creditis fide humana, aut probabilis ratione; certè quidem ita argumentari facile possunt.

Quod vterius etiam ita probatur. I. Quia talis assensus veritatum fidei non solum honestus & possibilibus est, sed etiam facilis & maximè obuius, si non etiam necessariò præuius ad assensum fidei supernaturalis, vt suppono ex materia de fide: præterquam quod per se constat, non semper teneri hominem assentiri propositionibus fidei, propter rationem obiectiuam supernaturalem. Credibile est ergo, Theologos differentes de rebus fidei sæpe tali solum assensu principiorum esse contentos. Et cum ex omni principio, quocumque demum assensu credito, possumus inferre conclusionem proportionatam principijs, constat etiam ex propositionibus fidei, vt creditis humana fide, seu opinatiuo assensu, inferri subinde ab iisdem conclusiones proportionato assensu erendas, qui non potest non esse opinatiuus, seu fidei cuiusdam humane.

II. Cum ad quemlibet actum fidei diuinæ requiratur præuia inspiratio diuina, seu gratia excitans, vt docetur in 1. 2. quæst. 109. nec is vnquam possit esse peccaminosus, vt ex materia de fide suppono, certè fatendum est, nonnunquam Theologos, etiam Orthodoxos, cum præsertim in disputationis feruore versantur; & quandoque etiam, ob prauitatem circumstantiæ finis, aliarumve circumstantiarum, &c. suas dissertationes saltem veniali quadam macula aspergunt, assentiri propositionibus fidei, non per fidem diuinam, sed solum humanam.

III. Quia ad assensum fidei diuinæ, requiritur apprehensio diuinæ reuelationis: atqui subinde cum ratiocinamur ex principijs etiam reuelatis, non semper apprehendimus in illis diuinam reuelationem, vt experientia videtur constare.

IV. Quia experientia eadem testatur, etiam post amissum fidei habitum, ob vnicum errorem fidei contrarium, de cætero manere in hæretico eandem facilitatem & habilitatem non solum ordinatè & distinctè apprehendendi propositiones; quod ad memoriam & species intelligibiles, quæ remanent, spectat; sed etiam assentiendi illis, & ex illis vt sic deducendi conclusiones Theologicas: atqui habilitas & facilitas illa non potest esse nisi habitus alicuius adhæsiui, ex actibus comparati: si enim præteriti actus nullum habitum post se reliquissent, fatendum

esset, nihil eorum quidem ratione, intellectum ad assensum facilitari, cum actus, præsertim intellectus, non nisi mediante habitu potentiam facilitare soleant: nisi quis omnem rationem & necessitatem habitus acquisiti è medio tollere velit. Quod quidem non satis aduertisse videntur ij, qui cuiusmodi habitatem in solum actuum præteritorum exercitationem referunt, absque vilo habitu ex illis relicto. Nec satis etiam aduertunt alij, qui hanc facilitatem tantum retulerunt ad conseruationem specierum, &c. Nec verò talis habitus adhæsiuus potest esse alius, quam opinatiuus, aut fidei humanæ, saltem latè acceptæ, vt dictum. Arque hoc solum probat fundamentum primæ sententiæ superius adductum.

8 Dixi verò in Assertionem primò, aliquis Theologiae habitus. Nam vtum hic habitus simpliciter & absolute, adeoque verè & propriè, an solum analogicè dicendus sit Theologiæ habitus, de hoc nolum contendere: quamuis quidem iuxta scripturam, Patrum, ac communem Theologorum phrasin, non nisi analogicè sic dici videatur, cum verè ac propriè non procedat ex principijs reuelatis vt sic, sed quæ putentur reuelata. Hoc certum, iuxta consuetum loquendi vsum Theologorum, & communem sententiam, cum absolute Theologia dicitur, alium multò excellentiorem habitum intelligi, vt dictum.

Dixi secundo, in Theologis etiam Orthodoxis, quia hæreticos posse de propositionibus Theologicis, in quibus non errant, habitum Theologicum opinatiuum analogicè dictum adipisci, per bonas argumentationes, quas de rebus quibusdam fidei habent, per se constat, & à nemine negatur; non magis, quam quod habitum Theologiæ ante hæresin acquisitum retinere possint, vt dictum.

Dixi tertio, de conclusionibus ex principijs etiam reuelatis euidenter deductis; quia de illis, quæ ex principijs solum probabilibus inferuntur, res est per se nota, vt suo loco inferius dicitur dub. sequenti.

DVBIVM III.

Utrum Theologia sit scientia proprie dicta.

S. Thom. 1. p. q. 1. a. 2.

1 **A**ctum est hætenus de ijs habitibus, opinione scilicet, & fide humana, (cui ob affinitatem diuinam fidem adiunximus) quibus non semper verum dicitur, quique proinde etiam ab Aristotele, lib. 6. Ethicor. cap. 2. & 3. à numero virtutum intellectualium excluduntur. Nunc inquirendum est, an Theologia sit aliquis habitus, ex ijs, quos Aristoteles virtutes intellectuales ibidem appellat; nimirum Ars, Scientia, Prudentia, Sapientia, Intellectus.

Qua in re notandum primò, apud omnes constare, Theologiam non esse artem; quia non versatur circa factibilia; nec est per se habitus practicus aut

operatiuus, vt inferius dicitur: nec prudentiam; quia non versatur per se & immediatè circa singularia agibilia hic & nunc: nec intellectum, quia non est habitus primorum principiorum per se notorum, & euidentium; sed est habitus discursiuus & argumentatiuus, vt dictum dub. 1. Qua ratione etiam probauimus, non esse habitum principiorum euidentium fidei; qui nonnunquam etiam intellectus latè & quadam analogia dicitur. Solum ergo restat quæstio de scientia, & sapientia.

Notandum secundo, Theologiam latè acceptam, ex parte subiecti, quadruplicem posse distingui. Alia enim primo est increata; quæ in ipso Deo est; vt quidem etiam formaliter esse supponunt Caietanus & Zamel hic quæst. 1. art. 2. qui asserit eam esse perfectionem simpliciter simplicem; nimirum abstractè acceptam, prout dicit cognitionem sacram certissimam & euidentissimam ipsius Dei rerumque diuinarum. Secundo, alia est in Christo, & beatis, habentibus euidentiam intuitiuam visionis de veritatibus Theologicis. Tertio alia fuit in B. Virgine, Prophetis, & Apostolis Viatoribus, habentibus eandem veritatem euidentiam non in se, sed in attendente; quia nimirum euidentissimam sunt. Quam eiusmodi veritates reuelasse; licet interim nec Deum reuelantem, nec veritates ipsas reuelatas in se euidenter cognoscerent quod quidem possibile fuisse, supponimus hic ex materia de fide, contra nonnullos qui id negant. Quarto denique alia Theologia est in cæteris hominibus Viatoribus; de qua etsi præcipuè hoc loco, vt in tota hac disputatione, agatur, nonnihil tamen vt doctrina plenior sit, & æquiuocationis occasio excludatur, etiam de alijs hic dicendum erit.

2 Notandum tertio, hanc ipsam Theologiam humanam spectari posse vel secundum proprium suum officium & actum, atque adeo secundum ea, quæ ipsi per se conueniunt, quæque ipsius propria sunt; vel etiam secundum ea, quæ ipsi extrinseca sunt & per accidens. Nam per accidens est ipsi Theologiæ, quod Theologus subinde etiam ex principijs euidentibus euidentes conclusiones deducit, non ex ipsius Theologiæ, sed alterius scientiæ naturalis; puta Metaphysicæ, Physicæ, aut etiam Mathematicæ habitu, pro diuersitate obiectorum. Item quod Theologus subinde, ad complementum quoddam suæ doctrinæ, vt etiam aliarum scientiarum, Magistri facere solent, probabiliter duntaxat argumentantur; quod officium propriè ad Topicam pertinet; siue quia vna vel vtraque præmissa solum est probabilis: siue quia etiam consequentia non est euidentis & certa. Item quod Theologus vsu grammaticæ maximè, & linguarum, siue Chronologiæ aut historiæ profanæ, subinde scripturæ sacræ sensum peruestigat, absque vlla consequentia ex principijs reuelatis deducta; siue etiam quod ipsi scripturæ sacræ principijs iam cognitis firmiter & distinctè assentitur; quorum posterior est actus fidei; prior, quatenus per se solum spectatur, prout etiam in aliquo infideli esse potest, absque assensu rebus ipsi in scriptura diuinitus reuelatis adhibito, est actus liberalium artium ac naturalium disciplinarum, vt dictum etiam supra quæst. 2. dub. 2. affert. 2.

Deni-

Denique nec hic proprius Theologiæ actus est, persuadere fidem alicui infideli, nulla principia reuelata acceptanti, solum ex communibus fidei motibus; puta ab auctoritate Ecclesiæ, à sanctitate eorum qui fidem hanc fuerunt sectati; à constantia Martyrum; à celebritate miraculorum, &c. vt etiam dictum supra quæst. 1. dub. 1. sub fin. Per se autem & propriè ad Theologiam spectat, actusque eius proprius est, vel ex vtraque præmissa reuelata, vel ex vna reuelata & altera euidenti, (vt fusius declarabitur quæst. 5. dub. 1.) per bonam & euidentem consequentiam inferre conclusionem, siue alias etiam immediatè reuelatam, seu quod frequentius, eiusque magis proprium est, per se immediatè non reuelatam, vt dictum dub. 1. assert. 3. Et de Theologia secundum hunc actum, adeoque per se hoc modo spectata est quæstio, an sit scientia, vt bene etiam aduertit Caietanus hic quæst. 1. a. 2. & Canus lib. 1. 2. loc. Theolog. cap. 2.

Notandum quatuor, non esse quæstionem de scientia vel adeo latè accepta, prout quamlibet cognitionem certam & indubitatam significat, iuxta vulgi & ipsius etiam scripturæ quibusdam locis vtitam phrasin, v.g. 1. Reg. 24. v. 21. *Scio, quod certissime regnaturus sis.* Job cap. 19. v. 25. *Scio, quod redemptor meus uiuit.* Sapient. 13. v. 1. *Vani sunt omnes homines, in quibus non fides scientia Dei.* Luc. 1. v. 77. *Addandum scientiam plebi eius;* quibus locis fides diuina, partim etiam humana fides, scientiæ nomine appellatur: neque etiam de scientia adeo strictè sermo est, prout significat solum cognitionem rei per potissimam demonstrationem propter quid seu à priori, ex veris causis ipsius rei cognoscendæ partum. Sed quæstio est de scientia propriè & strictè, vt iuxta Aristotелеm 6. Ethic. cap. 3. peculiaris virtus intellectualis constituitur, & significat habitum conclusionum per demonstrationem acquisitum ex principijs euidentibus, vt supponit S. Thomas hic q. 1. a. 1. & rectè notauit Caietanus ibidem.

His positus, quinque sunt Doctorum de præfenti quæstione sententiæ. Prima est Francisci de Marchia, vt referunt Arriminensis quæst. 1. prolog. art. 4. & Occamus ibidem quæst. 3. Theologiam etiam prout in nobis est, esse verè & propriè scientiam, etiam cum euidentia coniunctam; eò quod ipsa etiam fidei principia, ex quibus Theologus suas conclusiones infert, Theologo etiam in hac vita non solum sint certa, sed etiam euidentia; idque virtute ipsius fidei, & lumine naturali intellectus agentis, producentis species quasdam intelligibiles de illis, quibus directè cognoscantur. Sed hæc sententia ab omnibus non solum vt falsa & improbabilis, sed etiam vt temeraria, erronea, ac periculosa infide reijcitur, vt rectè in specie notarunt Gregorius de Valentia hic quæst. 1. punct. 3. Vasquez disput. 4. num. 3. cum ex scriptura vniuersim constet, fidem esse obscuram, & *argumentum rerum non apparentium, vt loquitur Apostolus Hebr. 11. v. 1. qui etiam 1. Corinth. 13. v. 12. ait, videre nos per speculum, & in enigmate, & 2. Cor. 5. v. 7. per fidem ambulare, non per speciem.*

Secunda sententia est Henrici Gandauensis in summa artic. 6. quæst. 1. & art. 13. quæst. 4. & quodlib. 8. quæst. 14. & quodlib. 12. quæst. 2. vbi circa fi-

dei veritates medium quoddam lumen inter lumen fidei, & beatificæ visionis constituit; ac docet, non ipsum quidem per se fidei assensum esse aut fieri posse industria humana euidentem; sed tamen certè ipsos etiam articulos fidei, mediane discursu, & quodam studio ac exercitatione fidei, per notitiam à fide distinctam, tandem euidenter cognosci posse; non euidentia intuitiua seu visionis, sed abstractiua. Quod si ergo ex principijs tali euidentia notis Theologus has conclusiones inferat, tunc ait, talem habitum Theologiæ esse scientiam; secus si discursus procedat ex principijs sola fide creditis.

Sed & hæc sententia in eo, quod supponit, falsa est, & contra experientiam ac doctrinam communem Doctorum; nec satis intelligi potest. Nam quomodo fidei veritates per discursum fieri possint euidentes; cum semper altera saltem præmissa, quod ipsemet Henricus fatetur, sit ineuidens? Deinde exercitatione & studio fidei augeri quidem potest ipsum lumen fidei, & fieri tum intensius; tum & ex parte obiectorum extensus; sed non procreari nouum & distinctum specie lumen. Actus enim sibi similes duntaxat habitus generant, non alios diuersi ordinis. Accedit quod in citatis quibusdam scripturæ locis simpliciter negatur, nos in hac vita, saltem secundum legem Dei ordinariam, habererum creditarum & supernaturalium euidentiam, vt expendenti patebit.

Tertia sententia est Ioannis Capreoli quæst. 1. prolog. art. 1. Caietani hic quæst. 1. a. 2. Bannis ibidem, Zumelij ibid. quæst. 2. Cani lib. 1. 1. loc. Theolog. cap. 2. & communis recentiorum Thomistarum, post Albertum in summa tractat. 1. quæst. 1. Iauellum, Sonecinnatem, &c. qui docet, Theologiam & secundum se, & vt in nobis, esse veram & propriè dictam scientiam, etsi non perfectam; cum vt in nobis est, eareat euidentia: rati videlicet ad scientiam veram & propriam, saltem subalternatam, non requiri euidentiam principiorum, in habente illam; sed satis esse, vt subordinetur alteri scientiæ habenti euidentiam. Atque eandem isti putant esse sententiam S. Thomæ hic q. 1. a. 2. certè negari non potest, eum non parum huic sententiæ fauere, dum docet, Musicam esse scientiam subalternatam Arithmeticæ; cum tamen, vt ait: *Musica credat (solum) principia tradita sibi ab Arithmetico.* Sed de mente S. Thomæ infra ageamus. Tribuunt quoque eandem sententiam Altissiodorensi, Bonauenturæ, Ægidio; qui tamen potius contrarium sentiunt apud Vasquez disp. 4. n. 11.

Quarta sententia est, Theologiam non quidem vt in nobis est, sed secundum se tamen, esse veram & propriam scientiam. Ita docet Vasquez hic disp. 4. cap. 4. idemque solum existimat sensisse Caietanum; qui tamen reuera plus dicit, vt legenti patebit. Eam verò sententiam ita declarat Vasquez, ex mente etiam, vt putat, Caietani, *Disariam enim Caietanus (inquit Vasquez) accipit Theologiam: vnam dicit esse Dei & beatorum, alteram verò Viatorum; hanc posteriorem rursum diuidit in Theologiam secundum se, & prout est in nobis. Per Theologiam igitur secundum se non intelligit Caietanus Theologiam Dei, nec beatorum, sed Viatorum, non quatenus est in illis obscura notitia ex principijs solum creditis collecta; sed consideratam sine imperfectione obscuri-*

raris. Ita Vasquez. In eam sententiam Aureolus in prolog. q. 1. art. 1. citat etiam Varronem Scoti præceptorem. Citari etiam potest pro eadem sententia Scotus q. 3. prolog. sub fin. quæst. 4. ubi expressè docet, Theologiam quoad conditionem certitudinis & euidentiæ, esse scientiam in se, & in intellectu diuino; ut etiam in beatis. Nec aliud nomine Theologiæ in se videtur intelligere, quam Theologiam absolutè spectatam, prout abstrahit à varia conditione subiecti habentis Theologiam; ut cunquæ aliter explicet Vasquez loc. cit.

Quinta sententia est, Theologiam nec secundum se, nec ut est in nobis, esse verè & propriè scientiam.

5 Assertio I. Theologia ut est in nobis, non est verè & propriè scientia. Ita Altiſiodorensis lib. 2. summæ tract. 29. cap. 1. q. 1. Scotus loco cit. Heruæus q. 1. prolog. Aureolus in prolog. q. 1. a. 2. Occam q. 3. prolog. Durandus q. 1. num. 49. Arriminenſis q. 1. a. 4. Argentinenſis q. 2. a. 1. Marsilius q. 2. a. 3. inclinât magis Richardus q. 2. prolog. Ex recentioribus idem docent Gregorius de Valentia hic q. 1. p. 3. §. 1. Molina q. 1. a. 2. disp. 3. Vasquez cit. disp. 4. cap. 6. adeo ut hæc extra scholam S. Thomæ sit communis sententia; imò Gregorius de Valentia & Vasquez putant, nec S. Thomam quidem esse huic assertioni contrarium, quem ipsi existimant solum sensisse, Theologiam esse scientiam secundum quid & analogicè; de quo nolim disputare. Certe quidem q. 2. de virtut. art. 13. ad 6. ait: *Memoriter tenens conclusiones Geometriæ, si non propter mediâ geometricâ et assentiât, non habebit Geometriâ scientiam.*

Probatur assertio. Quia iuxta Aristotelem lib. 1. poster. cap. 2. & communem omnium Philosophorum doctrinam, ad scientiam propriè dictam, ac more philosophico acceptam, requiritur euidentiâ; non solum quia Aristoteles ibidem docet, scientiam debere esse ex notioribus, sed etiam quia ibidem in fine ait: *Oporet simpliciter scientem immutabilem esse;* quod non conuenit scientiæ nisi ratione euidentiæ: Atqui Theologia ut in nobis viatoribus est, non est euidens; ut fatentur etiam auctores tertii sententiæ, & ut ipsa etiam experientia patet. Si enim esset, non posset latere cognoscentem, iuxta eundem Aristotelem 2. poster. c. 18. Simile argumentum petitur à demonstratione, sine qua non potest esse scientia. Quia etiam demonstratio vera & formalis esse non potest, absque euidentiâ præmissarum: secus est de demonstratione materiali & obiectiua.

Addunt nonnulli etiam hoc argumentum; scientiam esse non posse de singularibus, iuxta Aristotelem, qualia tamen in Theologia sunt ferè omnia, aut saltem præcipua; ut Deus, & diuina mysteria, &c. Sed hæc ratio non conuincit. Intelligenti enim debet de scientia strictissimè sumpta, & à priori; qua proprietates de subiecto per veras & immediatas causas demonstratur: qualis scientia de singularibus esse non potest; quod eorum, quæ talia sunt, nec essentiæ, nec proprietates cognoscantur. Quod si dictum illud ulterius extendatur, intelligi debet de singularibus corruptibilibus, & regulariter; quæ hoc ipso quod talia sunt, ferè demonstrationem, saltem absolutam, respuunt. Alias si euidens notitia de singularibus habeatur, ex principijs euidētibus, nil obstat eorum etiam scientiam haberi; ut de Eclipsibus habent Ma-

thematici; de Deo Metaphysici, ut rectè etiam notauit Vasquez cap. 7.

6 Assertio II. Theologia etiam in se, siue secundum se accepta, non est propriè & formaliter scientia. Ita contra Varronem Scoti præceptorem Aureolus loc. cit. item contra Caietanum, Gregorius de Valentia loc. cit. §. 2. & videtur communis aliorum, quos pro assert. præced. citauimus. Probat. Quia Theologia in se, siue secundum se non potest esse aliud, quam aut Theologia in genere spectata, siue prout abstrahit à varijs differentijs contrahentibus, variaque conditione subiecti eius in quo est, siue etiam quod Vasquez dixit, *prout consideratur sine imperfectione obscuritatis*: Atqui Theologia, nec in genere spectata, est scientia, quia alioqui in omnibus speciebus & indiuiduis suis esset scientia: quod istimer auctores negant: nec etiam prout abstrahitur & consideratur sine imperfectione obscuritatis. Quia ad scientiam veram & formalem requiritur, non solum ut abstrahat ab ineuidentiâ siue obscuritate, siue ut sine imperfectione obscuritatis consideretur; sed etiam ut formaliter qua talis habeat euidentiâ; atqui Theologia etiam ut abstrahit ab obscuritate, siue ut consideratur sine imperfectione obscuritatis; non eo ipso tamen formaliter habet euidentiâ; cum omnis euidentiâ sit per respectum ad subiectum; & Theologia adeo secundum se non minus abstrahat ab euidentiâ, quam ab ineuidentiâ siue obscuritate. Ergo Theologia, etiam prout abstrahit & consideratur sine imperfectione obscuritatis, non est propriè & formaliter scientia.

Nec plus probant rationes eorum, qui contrarium huic vel præcedenti assertioni docuerunt, quam Theologicæ argumentationis dispositionem per se talem esse, quæ strapta parere scientiam, si habeatur principiorum euidentiâ; seu quod idem est, esse scientiam obiectiue, non formaliter; quod vltro concedimus: quo modo nimirum etiam quælibet argumentatio Euclidis etiam ab ignorantissimo, ac minime intelligente apprehensa, dici potest scientia: quia videlicet ex se est obiectum scientiæ, siue aptum sciri.

7 Assertio III. Neque Theologia Dei, aut Angelorum more philosophico propriè est scientia. Ita Scotus loc. cit. & Vasquez d. 4. num. 8. & 9. ex communi, contra Bassolem q. 5. prolog. a. 3. Quia iuxta Aristotelem & philosophos locis supra citatis scientia essentialiter est habitus discursiuus; per hoc enim differt ab intellectu, iuxta eundem Aristotelem lib. 6. Ethic. cap. 3. Atqui scientia Dei & Angelorum non est discursiua, ut hic supponimus. Ergo.

Assertio IV. Theologia creata in Christo vere ac propriè est scientia. Ita sentiunt Scotus loc. cit. & Bassolis q. 5. prolog. a. 3. qui vniuersim eam in beatis collocant; & videtur ex mente aliorum Doctorum communiter, qui in Christo agnoscunt vsum Theologicæ argumentationis, ut dictum q. 1. dub. 1. & q. 2. dub. 1. Probat. quia ut rectè notauit Scotus loc. cit. ad scientiam propriè dictam plus non requiritur, quam cognitio vera, certa, euidens, & discursiua; siue ex principijs euidētibus per discursum collecta de obiecto necessario: ubi satis est complexum intelligere, iuxta dicta assert. 1. Sed Christus de rebus Theologicis habuit cognitionem veram, certam, euidētem & discursiuam. Ergo. Maior patet ex Aristotele

loc. cit.

loc. cit. & est communiter recepta. Minor, quoad duas priores conditiones scientiæ, patet & est extra controuersiam. Quoad discursum patet ex dictis; quandoquidem ex ipsa scriptura constat, Christum in terris existentem habuisse discursum verè Theologicum; ex vno principio reuelato probando aliud, seu deducendo conclusionem Theologicam, vt probauimus locis citatis.

De cognitione euidentē ita probatur. Quia Christus præter cognitionem increatam, de qua hic non loquimur, sicut & præter visionem beneficam, habuit scientiam infusam, per quam Deum ipsum quidem cognitione abstractiua, res vero creatas alias extra Deum etiam supernaturales, quidditatiuè ac per proprias species euidenter cognosceret; vt iuxta S. Thomam docetur in 3. part. q. 9. & 11. Ex principijs ergo per hanc scientiam euidenter cognitis potuit ipse conclusiones euidenter deducere; eisque vt sic deductis assentiri. Vbi etiam supponimus, quamuis scientia infusa per se discursiua non sit, sed actus eius proprius sit per modum simplicis intelligentiæ siue intuitus, videlicet cognoscere prædicatum in subiecto, & conclusionem in principio, effectum in causa, & causam in effectu, vt docet Halensis 3. part. q. 13. a. 5. & Durandus 3. d. 14. q. 3. nihilominus tamen, siue ob excellentiam eius habitus, siue quia plures sub se habitus continet, siue quia saltem per modum habitus principiorum discursui seruire poterat, de quo nil iam definitum, potuisse vt Christum hac scientia etiam ad compositionem & discursum, vt aperte docet S. Thomas 3. p. q. 11. a. 5. & sentiant omnes Thomistæ teste Suarez in 3. part. to. 1. d. 28. sect. 2. et si Bonauentura in 3. d. 14. art. 3. q. 2. Richardus art. 4. q. 3. putet, actum huius scientiæ semper ac necessariò esse simplicem, nec posse fieri cum vera compositione & discursu; quam sententiam etiam verisimiliorem censet Suarez, de quo alibi.

8 Assertio V. Probabilius videtur, Theologiam etiam in beatis cæteris esse scientiam propriè dictam. Ita Scotus & Bassolis locis cit. & aperte Molina q. 1. a. 2. disp. 1. post conc. primam, vbi ait: *Locus sum autem in conclusione de Theologia, vt in hac vita à nobis habetur: quoniam Theologia Beatorum tam quoad principia, quam quoad conclusiones, quæ ex eis cognoscitur (vtique discurrendo) euidentissima est; specie tamen distincta à Theologia nostra; et si contrarium doceat Valquez hic disp. 4. cap. 4. ratus beatos non magis, quam Angelos, mysteria fidei per discursum posse cognoscere. Neque sanè de alia conditione scientiæ vlla est difficultas, quam de discursu circa res fidei, seu veritates à Deo reuelatas.*

Probatur tamen assertio. Quia ad quandam perfectionem connaturalem humani intellectus pertinere videtur, vt ex veritatibus cognitis discurrendo colligat & cognoscat etiam alias connexas: Ergo si hic modus cognoscendi etiam circa mysteria fidei & veritates Theologicas possibilis est in beatis, non erit ijs denegandus: sed possibilem esse declarari potest varijs modis. Primus esset, si quis diceret, in beatis manere Theologiam nostram quoad substantiam, et si conditio ineuentiæ transeat in euidentiam, vt post Victoriam docent Caietanus & Bannes hic q. 1. a. 2. item Canus lib. 12. loc. Theol. cap. 2. Sed hoc

non probatur, vt rectè Gregorius de Valentia q. 1. p. 3. §. 2. quia euidentia & ineuentia pertinet ad substantiam & essentiam habitus cognoscitiui: alioqui idem in re habitus etiam apud nos successiue esse, posset scientia & fides. Verius est ergo, non manere in patria, vt inferius dicitur.

Secundus modus esset, si quis diceret, Beatos, vt cognoscunt alia extra Deum euidenter per creatas species, ita etiam cognoscere mysteria fidei, saltem ea, quæ sunt de rebus creatis; quibus proinde cognoscendis habeant species ac scientiam per se infusas; eadem ferè ratione, qua easdem habuisse diximus Christum. Quod admittere libentius debent illi, qui negant, in Deo per visionem beatificam quicquam creatum videri; de quo suo loco. Neque sane hæc sententia videtur improbabilis.

Tertius, & meo iudicio probabilior modus est; si dicamus, ad discursum nil referre, quocumque demum habitu seu lumine cognoscantur principia: idcirco cum & beati de quibus loquimur, potentiam discursiuam, veluti connaturalem animæ facultatem retineant, ex principijs lumine gloriæ euidenter cognitis, suo arbitratu, cum volunt, per scientiam Theologicam, non beatificam, mediante discursu cognoscere conclusiones Theologicas. Nec refert, quod eadem illa iam antea etiam cognoscantur in Deo per visionem beatificam: quia nil obstat, quò minus idem simul duplici cognitionis genere cognoscatur; nec clarior cognitio impedit cognitionem aliam minus claram; sicut nec euidentia sensus euidentiam intellectus; nec euidentia intuitiua, euidentiam abstractiuam, vt in Christo & beatis, saltem quoad obiecta quædam naturalia; videre est. Atque ita sentit Scotus cit. q. 3. prolog. q. 4. cum ait: *Quidditas subiecti, in quocumque lumine videtur, continet virtualiter veritates, quas potest facere notas intellectui passiuo à tali obiecto. Si igitur quidditas linearis visa in lumine naturali potest notis facere in se inclusas veritates intellectui nostro: pari ratione etiam vt visa in essentia diuina: sed omnis veritas causata in intellectu nostro per aliquid prius naturaliter notum, causatur per discursum: quia discursus non requirit successionem temporis, nec ordinem ipsius, sed ordinem naturæ; scilicet, quod principium discursus sit naturaliter prius notum, & vt sic sit causatiuum alterius extremi discursus: hoc potest concedi, videlicet quod beatus verè potest habere scientiam Theologicam quantum ad omnes conditiones scientiæ; quia omnes conditiones scientiæ verè concurrunt in scientia beatorum. Ita Scotus.*

9 Assertio VI. Probabile est, Theologiam etiam in B. Virgine, Prophetis, & Apostolis Viatoribus, saltem quoad aliquas conclusiones, fuisse scientiam verè & propriè dictam. Est ex inente omnium Doctorum, qui docent, istos dum viuere, saltem quarundam fidei veritatum habuisse euidentiam in reuelante siue attestante. Ita enim de B. Virgine & Apostolis docent Suarez in 3. part. tom. 2. d. 3. i. sect. 4. Idem de Prophetis ex communi sententia docent S. Thomas q. 14. de verit. art. 1. & in 2. q. 175. a. 5. Caietanus ibid. Bannes 2. 2. q. 1. a. 4. & 5. Scotus in 3. d. 24. q. vii. & ex eodem Aureolus q. 1. prolog. a. 1. et si contrarium doceant Durandus q. 1. prolog. à num. 45. & Molina hic q. 1. a. 2. disp. 4. ratus etiam prophetiam, non minus quam fidem, includere obscuritatem re-

uelantis; quod videtur contra sententiam communem & certam. Sic enim prophetia non fuisset proprie in Christo; cuius oppositum cum S. Thoma 3. part. q. 7. a. 8. docent omnes ferè Theologi, contra Abulensem. Hoc igitur posito, probatur assertio. Quia omnis cognitio rei certa & euidens, ex principijs euidenter cognitis deducta, est scientia proprie dicta: sed hi quos diximus, etiam dum in terris existerent, habebant notitiam Theologicam de aliquibus saltem conclusionibus, certam & euidenter, ex principijs itidem euidenter in attestante; eo ipso quod illis euidens fuit, Deum hoc vel illud dixisse siue reuelasse, vt dictum. Ergo, &c.

Neque verò dici potest, euidenciam in reuelante, cum ab extrinseco tantum desumpta sit, non sufficere ad euidenciam scientiæ. Nam etiam in Mathematicis, atque alijs scientijs, conclusionum euidenciam, sæpe dependet & provenit ab aliquo principio quasi extrinseco. Quale est illud vulgare apud Mathematicos: *Quæ sunt equalia vni tertio, sunt etiam equalia inter se, &c.* Demonstrationes quoque à fine, & propria causa efficiente, sumuntur ab aliquo extrinseco rei, de qua est demonstratio; & tamen sunt veræ demonstrationes. Nec sane video, cur magis rationem demonstrationis habeat iste discursus: *Quæ sunt equalia vni tertio, sunt equalia inter se: hæc sunt equalia vni tertio: Ergo, &c.* quam si dicam: *Quicquid Deus reuelavit verum est; quæ est propositio naturaliter euidens: hoc Deus reuelavit; quam euidenciam esse, ponimus ex hypothesi: Ergo, &c.* si quidem utrobique præmissa ponantur euidenter, nota, vt supponitur.

Accedit de B. Virgine hæc peculiaris ratio assertionis; quod nonnulli, in quibus etiam Suarez 3. p. tom. 2. d. 19. scilicet; probabiliter asserunt, etiam B. Virginem habuisse scientiam mysteriorum perfectissimam. Tunc enim seruata proportione, eadem ipsius quoad hoc erit ratio, quam Christi esse diximus: etiam si huius lumen fuerit illustrius & intensius; quod ad rem præsentem impertinens est.

Ex ijs verò, quæ de Apostolis & Prophetis diximus, colligitur, ob eandem causam etiam in animabus purgatorij discursus Theologicos, si quos habent, vt sane habere possunt, saltem respectu aliquarum conclusionum, euidentes esse; cum & ipsæ à proprio quasi experimento habeant euidenciam fidei veritatum, saltem aliquarum, in reuelante siue attestante; vt hic supponimus alibi probandum.

Assertio VII. Tamen si Theologia nec in Deo, seu Angelis; nec in nobis viatoribus verè & proprie, Aristotelico & Philosophico more, sit scientia; illic ob defectum discursus, hic ob defectum euidenciam, vt dictum; nihilominus tamen in vtrisque latiori vocabuli vsu, verè ac proprie, adeoque absolute est ac dici potest scientia. Ita absolute loquuntur complures Scholastici veteres, vt S. Thomas hic q. 1. a. 2. Alensis 1. p. q. 1. memb. 1. Richardus in prolog. q. 2. Scotus in 3. d. 24. Heruæus q. 1. prolog. è recentioribus verò ita speciatim docent Canus lib. 12. loc. cap. 2. Gregorius de Valentia hic q. 1. punct. 3. Molina a. 2. disp. 1. Eodemque modo loquuntur scriptura & SS. Patres. Vt Sapient. 10. v. 10. *Dedit illi scientiam sanctorum.* Hierem. 3. v. 13. *Dabo vobis pastores, qui pascunt vos scientia & doctrina.* 1. Cor. 12. v. 8. *Alij datur sermo*

scientia, & cap. 13. v. 8. Siue scientia destruetur. 2. Cor. 8. v. 7. *Abundatis fide, sermone, & scientia.* Quibus locis scientiæ nomine etiam comprehendi Theologiam, negari vix potest.

Idem apertè docet S. Augustinus, lib. 14. de Trin. cap. 1. vbi ait, hanc doctrinam ab Apostolo vocari *scientiam* (citato nimirum 1. Cor. 12.) *proprio vocabulo*: quod nempe fidei iuxta phrasin Apostoli ibidem commune non sit. Eodem modo loquitur Augustinus lib. 12. de Trin. cap. 14. & in epistola ad Paulinum; vti & alij SS. Patres apud citatos.

Ex quibus etiam probatur assertio. Quia in rebus Theologicis, scriptura, SS. Patres, & alij etiam Scholastici Doctores, non solum debent esse norma sentiendi, siue credendi, sed etiam loquendi. Cum ergo apud illos Theologia absoluta & simpliciter dici soleat scientia, rectè etiam à nobis ita vocabitur. Ratio est. Quia scientiæ vocabulum suam vim & significationem non primum accepit ab Aristotele, & Philosophis, qui eum secuti sunt, sed multò antea loquentium vsu tritum fuit: idque communi vsu loquendi scire quisque dicebatur, quod certò ac infallibiliter, præsertim ex discursu ac ratione, perspectum haberet; vti nunc etiam vulgariter loquimur: Ergo cum Theologica cognitio sit certissima & planè infallibilis, ac simul etiam cum discursu coniuncta, rectè ac proprie scientia dicitur.

Et confirmatur. Quia negari non potest, etiam supposita Aristotelis doctrina lib. 6. Ethicor. cap. 2. & 3. tam fidem diuinam, quam Theologiam, esse virtutes intellectuales, quandoquidem ijs semper verum dicimus: Ergo nomen virtutis alicuius intellectualis ei attribuendum est: nullum autem ei melius tribuitur, quam scientiæ & sapientiæ; quandoquidem tres habet conditiones præcipuas scientiæ; nimirum veritatem, certitudinem, discursum; de sapientia dicemus inferius. Nec dubium: si Aristoteles fidei & Theologiæ nostræ cognitionem habuisset, quin eas vel expressè ac distinctè cæteris virtutibus intellectualibus adnumerasset; aut certè scientiam & intellectum ita ibidem declarasset, vt nomen hoc etiam fidei; illud verò Theologiæ quoque conueniret. In quem sensum etiam rectè dixit Canus loc. cit. Si præcisè & essentialis ratio scientiæ, supposito fidei & Theologiæ lumine, ab Aristotele fuisset assignata, aut ex Aristotelica descriptione etiamnum abstrahatur communis conceptus scientiæ, eum in Theologiam omnino quadraturum.

DVBIVM IV.

Utrum Theologia sit scientia subalternata scientiæ Dei, aut beatorum.

Ad S. Thom. 1. p. q. 1. a. 2.

Notandum, subalternationem scientiarum non eodem modo ab omnibus explicari: neque verò Aristoteles 1. poster. 7. 10. & cap. 23 vbi de hac re agit, explicatè satis & disertè suam sententiam declarat.

clarat. Communis tamen & recepta sententia est, uti quatuor sunt, quæ in scientia considerantur; finis nimirum, principia, subiectum, & modus sciendi: ita etiam quadrupliciter posse vnam scientiam alteri subalternari; idque vel secundum quid tantum, vel etiam simpliciter. Secundum quid tantum accidit subalternatio; quando solum vel ratione finis, vel ratione modi sciendi, vna alteri subalternatur siue subijcitur: quemadmodum ratione finis frænologia subalternatur & subijcitur equestri; & hæc militari, eo quod vtriusque illius opus referatur ad scientiam militaris opus, vel ut ad finem.

Ratione modi sciendi, accidit subalternatio: quando subalternata scientia de principijs, aut etiam conclusione solum scit. Quia: subalternans vero propter quid: quo modo Medicina subalternatur Geometriæ ratione illius conclusionis, Circulare vulnus tardius curari, iuxta Aristotelem cit. cap. 10. Geometria enim huius conclusionis veritatem scit à priori; nimirum quia in vulnere circulari partes à se plus distant. Medicus autem solum scit per experientiam, siue inductionem.

Ratione principiorum illa scientia alteri dicitur subalternari, cuius principia sunt conclusiones alterius.

Ratione subiecti verò, quando subiectum vnius (subalternatæ) ponitur directè sub subiecto alternantis, sola differentia accidentali contractum. Atque his etiam duabus conditionibus simul positis, scientia simpliciter & absolute alteri dicitur subalternari: quemadmodum iuxta omnium sententiam, perspectiva subalternatur Geometriæ; & Musica Arithmetica: hæc enim considerat numerum sonorum; illa lineam radiosam seu visivalem. Atque ita ferè docent S. Thomas 1. poster. lect. 3. 5. & opusc. 42. cap. 14. Heruzus q. 6. prolog. Bonaventura q. 2. prolog. Scotus q. 3. prolog. Aureolus q. 1. art. 2. circa opinionem S. Thomæ, Durandus in 1. quest. prolog. art. 2. & communiter recentiores Interpretes Aristotelis cit. cap. 10. & 23. & S. Thomæ commentatores hic q. 1. a. 2.

Hoc posito, multi sunt Doctores, qui simpliciter asserunt, Theologiam nostram subalternari scientiæ Dei & beatorum; eo modo, quo perspectiva subalternatur Geometriæ: idque adeo verum esse putant, ut quamvis eadem Theologia nostra non esset scientia simpliciter, adhuc tamen verè ac propriè asserant, esse scientiam subalternatam, etiam ut in nobis Viatoribus est. Ita Ægidius 2. part. prolog. a. 2. Capreolus q. 1. prolog. art. 1. concl. 2. & 3. Caietanus hic q. 1. a. 2. Canus lib. 1. 2. loc. cap. 2. qui in eandem sententiam citant S. Thomam hic q. 1. a. 2. non obscure huic sententiæ fauentem, quando indicat, ad scientiam subalternatam sufficere, ut eius principia sint euidencia per lumen superioris scientiæ, ut dictum dub. præced. etsi nonnulli eum in benigniorem partem interpretentur.

Assertio I. Theologia nostra, respectu nullius scientiæ, propriè ac iuxta morem loquendi Philosophorum, est scientia subalternata. Ita Scotus, Aureolus locis cit. Durandus q. 1. prolog. num. 52. Occam in prolog. q. 3. Heruzus q. 1. prolog. Gregorius de Valentia q. 1. p. 3. §. 2. Molina q. 1. a. 2. disp. 3. Gabriel Vasquez d. 6. c. 2. Probatur. Quia omnis scientia sub-

alternata, est simpliciter scientia; ratio enim subalternationis non est conditio transferens scientiam in aliud genus, sed specificans vel modificans, ut habet communis omnium Philosophorum sententia; cui vbi de modo loquendi, & terminis ad naturales scientias propriè pertinentibus agitur, non est repugnandum; ut faciunt contrariæ sententiæ auctores: atqui Theologia propriè, ac iuxta morem loquendi Philosophorum, non est simpliciter scientia, ut probauimus dub. præced. Ergo, &c.

Assertio II. Etiam si Theologia nostra esset euidens, adeoque propriè iuxta Aristotelem esset scientia, non tamen propriè ac simpliciter esset subalternata scientiæ Dei aut beatorum. Ita Henricus Gandauensis in summa art. 7. q. 4. & 5. Scotus & Aureolus locis cit. Vasquez disp. 6. cap. 2. Probatur ex dictis. Quia ad veram subalternationem requiritur primò, ut subalternata obiecto, siue subiecto subalternantis addat aliquam differentiam accidentalem, ut significat Aristoteles 1. poster. cap. 10. Secundò, ut principia subalternatæ sint conclusiones subalternantis, adeoque notæ subalternanti per demonstrationem; quod etiam indicat Aristoteles 1. poster. cap. 10. Alias enim quælibet scientia subalternaretur habitui suorum principiorum. Atqui neutrum Theologiæ nostræ conuenit, respectu scientiæ Dei, & beatorum. Non primò. Quia vtriusque obiectum, siue subiectum, est idem Deus; nec is ex parte obiecti cogniti contrahitur vlla differentia accidentali, prout à Theologo in hac vita consideratur. Neque secundò. Quia Theologia nostra, & Beatorum versantur circa eadem conclusiones, & habent eadem principia; diuerso tantummodo lumine cognita. Scientia verò Dei, cum discursiva non sit, nullas omnino veritates per modum conclusionis colligit.

Secundò. Vera scientia subalternata consistere potest cum subalternante; imò nisi adiunctam habeat, à subalternante, euidenciam principiorum, non est vera scientia subalternata; uti videre est in Musico, qui nullam Arithmeticæ scientiam habet; aut in perspectiuo, qui nullam Geometriæ scientiam habet; sed credit solum Arithmetico, aut Geometriæ: atqui scientia Theologiæ non potest simul esse cum scientia Dei, & beatorum. Ergo, &c.

Tertiò. Si Theologia nostra esset verè subalternata scientiæ Dei & beatorum, idè esset; quia procedit ex principijs notis euidenter lumine superioris scientiæ; nimirum scientiæ Dei & beatorum, ut significare videtur S. Thomas hic q. 1. a. 2. sed hoc minimè sufficit ad veram subalternationem scientiæ; tum ob dicta superius: tum quia sic cognitio obscura discipuli, in Mathematicis demonstrationibus credentis suo Magistro, sine vlla vera euidencia principiorum, aut conclusionis, esset dicenda subalternata scientia, scientiæ sui Magistri: consequens autem est absurdum, & in Philosophia inauditum. Ergo, &c.

Assertio III. Theologia nostra nec secundum quid etiam, ratione videlicet finis, aut principiorum, seu ratione modi sciendi, propriè subalternatur scientiæ Dei & beatorum. Ita Aureolus loc. cit. præcipuè quoad posteriorem partem. Probatur & declaratur. Quia ratione finis ea solum scientia alteri dicitur subalternari, non quæ se habet veluti medium ad

acqui-

acquirendam aliam superiorem; adeoque ordinatur ad ipsam tanquam finem; alias Logica esset subalternata omnibus alijs scientijs, & omnes scientiæ subalternatæ forent visioni beatificæ, seu scientiæ beatæ: sed illa dicitur subalternata ratione finis, cuius finis est aliquo modo sub fine alterius, illique veluti medium deferuit: quod fit, quando opus vnius scientiæ refertur ad opus alterius scientiæ vel ad finem; vti opus frans factoriæ refertur ad equitationem; & equitatio ad militiam seu pugnam equestrem. Atqui Theologiæ nostræ finis, non est sub fine scientiæ Dei aut beatorum; sed potius est medium ad scientiam Dei & beatorum, vel ut ad finem vltimum; quandoquidem scientia Dei nullum profus habet finem; beatorum scientia autem est ipse vltimus noster finis cuius; qui non habet alium finem eiusdem generis. Nec verò etiam Theologia nostra vllum post se opus relinquit, quod veluti medium deferuiat operi scientiæ Dei aut beatorum: quandoquidem Theologica scientia per se & vniuersim non est operatiua seu practica; sed speculatiua, vt inferius dicitur.

Ratione verò principiorum tunc solum vna scientia alteri subalternatur, quando principia subalternatæ sunt conclusiones subalternantis; quod in proposito non accidit, vt dictum.

Ratione modi verò sciendi vna dicitur alteri subalternata, quando subalternata circa principia vel conclusiones dicit solummodo Quia, adeoque euentuam habet à posteriore solum, puta ab experientia & sensu, siue inductione; altera verò propter quid, vt rectè Aureolus loc. cit. Id verò in proposito non accidit: Quia Theologia nostra nullam planè habet euentiam principiorum aut conclusionum; nec vllam veram demonstrationem (ex proprio munere, vt superius dictum dub. 2.) circa suas conclusiones, nec Quia, nec propter Quid: Ergo, &c.

Atque ob dictas etiam causas, docet Heruzus q. 6. prolog. Theologiam nulli etiam scientiæ humanæ subalternari: *Secundum quemcumq;*, inquit, *modum subalternationis (ab ipso) positum: quia subiectum Theologia non se habet ad subiectum alicuius scientiæ humanæ vt pars in modo; nec etiam subiectum vel finis alicuius scientiæ humanæ, est causa finalis subiecti Theologiæ; nec etiam ea, quæ sola fide tenet Theologia, sunt euentia in aliqua scientiæ humanæ: Ergo secundum nullum prædictorum modorum subalternatur alicui scientiæ humanæ, Ita Heruzus.*

D V B I V M V.

Utrum Theologia propriè sit sapientia.

S. Thom. 1. p. q. 1. a. 6.

Quæstio est de Theologia nostra, seu Viatorum, vt & de sapientia, quam inter quinque virtutes intellectuales retulit Aristoteles lib. 6. Eth. cap. 4. vt dictum supra dub. 3. Vbi notandum, tribus modis accipi posse Sapientiæ vocabulum; primò spiritualiter, & iuxta scripturæ phrasin; quæ sæpius nobis diuinam sapientiam commendat, eaque communiter dici solet sapida quædam Dei rerumque diuinarum scientia; nec vnum solum, sed plures habitus supernaturales virtutum, siue donorum Spiritus S. inuol-

uit, nimirum præter fidem, in primis donum Sapientiæ, (si non etiam donum intellectus, consilij, & scientiæ) de quibus scilicet 1. 1. v. 2. atque etiam charitatem, qua fit, vt ea quæ Dei sunt, & secundum Deum sapiamus. S. August. lib. 14. de Trin. c. 1. eam vocat *Dei cultum*, græcè *θεωσιβεια*, quæ est, inquit, *in cognitione & dilectione eius, quod semper est, & incommutabiliter manet, quod Deus est* Et lib. 12. de Trin. c. 14. *Et quousculus eius, nisi amor eius?* Vnde ipsum etiam donum sapientiæ Scot. in 3. d. 3. 5. dicit esse charitatem ipsam, licet includat fidem tanquam aliquid præuium. S. Thom. verò in 1. 2. q. 68. a. 4. & in 2. 2. q. 45. a. 2. rectius in intellectu collocat, et si charitati annexam, in eaque fundatam.

Secundo nomen Sapientiæ, vulgari & ciuili loquendi vsu, significat quemlibet habitum intellectualem exactè possessum, quo semper verum dicitur: quæ tamen sapientia solum dicitur in aliquo certo genere, iuxta Arist. lib. 6. Eth. c. 7. vbi ait: *Sapientiam in artibus tribuere illis consueuimus, qui absolutissimi in ipsis sunt.* Vnde *Phidiam sapientem Marinarum, Polydectum statuarum sapientem dicimus; nihil aliud hic sapientiæ nomine, quam artis ipsius virtutem significante.* Similia habet 1. Metaph. c. 2. & 1. Mag. Moral. c. 3. 5. Sed & ipsa scriptura hac phrasin vtitur Eccl. 38. v. 35. *Vnusquisq; in arte sua sapiens est.* Et 1. Cor. 3. v. 10. *Vt sapiens Architectus fundamentum posuit.* Eodem pertinet, quod is, qui in genere totius humanæ vitæ prudens est, sapiens dicitur, *in quantum ordinat humanos actus ad debitum finem*, vt notauit S. Thom. hic q. 1. a. 6. ex illo Prou. 10. v. 23. *Sapientia est viro prudentia.*

Tertiò accipitur philosophicè sapientia, pro certo & præstantissimo quodam habitu scientiæ, à quo quis non tantum secundum quid, & in certo genere, sed simpliciter sapiens dicitur: de quo Arist. cit. c. 7. *Ceterum, inquit, esse alios quosdam omnino, non ex parte sapientes existimamus, &c.* Et inferius ait, hac notione exactissimam scientiarum sapientiam esse manifestum est: quo loco Metaphysicam intelligit. Eundem habitum Aristot. 6. Eth. c. 4. virtutibus intellectualibus adnumerat, vt dictum.

Iuxta primum igitur & secundum vocabuli Sapientiæ vltim non est quæstio; priori enim modo constat, Theologiam sapientiam non esse: licet Sapientiæ illius latè spectatæ ambitu fortassis etiam Theologia, vt & fides, contineatur: quomodo intelligendus Aureolus q. 1. prolog. a. 3. propof. 4. vbi dicit, & ex S. August. lib. 9. de Trin. c. 1. & lib. 14. de Trin. c. 1. & lib. 14. de Trin. c. 1. & tract. 1. super Ioan. vii etiam ex Richardo Victorino lib. 1. de Trin. in proœmio probat, Theologiam etiam esse illam sapientiam, de qua Sancti faciunt mentionem, ad quam conantur peruenire. Posteriori verò modo itidem certum est, Theologiam exactè possessam sapientiæ laudem suis possessoribus tribuere. Si enim artifex quilibet sapiens dicitur, qui in sua arte excellit, cur non & Theologus? Quæstio igitur solum est de sapientia, iuxta tertium nominis significatum, idque siue mentem Aristotelis, siue rem ipsam spectemus. Ad quam S. Thomas hic q. 1. a. 6. absolutè respondet, Theologiam vel maximè sapientiam esse. Eadem est cõmunis etiam aliorum Theologorum sententia: nisi quod Durand. q. 1. prolog. n. 54. & 55. negauit, propriè & formaliter esse sapientiam, ob defectum euentiæ.

Asser.

3 Assertio I. Theologia simpliciter & absolute loquendo recte dicitur sapientia. Est S. Thomæ, & communis omnium Doctorum; vt notauit Vasquez hic q. 1. a. 6. nec ipso quidem Durando excepto; ita indefinitè loquendo: quando quidem ibidem diserte fatetur, ita vocari posse; atque ita etiam vocatam fuisse ab Augustino. Probatur primò ex phrasi scripturæ; in qua ita nonnunquam appellari videtur. Act. 6. v. 10. de S. Stephano ex scripturis fidem in Christum probante dicitur: *Non poterant resistere sapientie & spiritui, qui loquebatur in eo.* 1. Cor. 2. S. Paulus loquens de sua doctrina (quam non solum fidei, sed etiam Theologicam fuisse q. 1. dub. 1. & q. 2. dub. 1. ostensum) ait: *Sapientiam loquimur inter perfectos.* Et rursum Ephes. 1. v. 7. *Superabundauit in nobis (gratia Christi) in omni sapientia & prudentia.* Et Coloss. cap. 1. v. 9. *Impleamini agnitione voluntatis eius, in omni sapientia & intellectu spirituali.* Et cap. 3. v. 15. *Verbum Christi habitat in vobis abundanter, in omni sapientia & commonentes vosmetipsos, &c.* Et 1. Pet. 3. v. 15. *Sicut & charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis.* Et quod hoc loco citat etiam S. Thomas, Deuter. 4. v. 6. *Hæc est vestra sapientia, & intellectus coram populis.*

Eodem modo sepe loquuntur SS. Patres. Et S. Augustinus lib. 12 de Trin. cap. 1. distinguit sapientiam à scientia, quod illa ad contemplationem, hæc ad actionem spectat; illa sit rerum diuinarum & æternarum, hæc humanarum & temporalium: Ergo hoc ipso agnoscit Augustinus, scientiam speculatiuam Dei, rerumque diuinarum, qualis est Theologia, sapientiam esse, vt notauit etiam S. Thomas hic quæst. 1. a. 6. Et rursum idem Augustinus lib. 14. de Trinit. cap. 1. ait: *Vnde ego quoque in libro superiore, utrarumque rerum cognitionem, id est, diuinarum atque humanarum, & sapientiam & scientiam dici posse, non tacui. Verum secundum hanc distinctionem, qua dixit Apostolus: Alij datur sermo sapientie, alij sermo scientie, ista definitio diuidenda est, vt rerum diuinarum scientia proprie sapientia nuncupetur, humanarum autem proprie scientia nomen obtineat.* Huc spectat, quod vt supra ex Aureolo notauimus, Theologia in illa etiam sapientia continetur, quam Sancti desiderarunt & expectauerunt.

Ratio est. Quia Theologia est multo excellentior scientiâ; eiq; etiam præcipua sapientiæ conditiones ab Aristotele assignatæ multo excellentius conueniunt, quam Metaphysicæ; vt sequenti assertionem dicetur: Ergo si Metaphysica propter excellentiam, qua alias scientias superat, recte dicitur sapientia, maiori iure talis dici debet Theologia. Accedit, quod omnis sapientia huius mundi, terrena scilicet & merè secularis, qualem Ethnici Philosophi habuerunt, stultitia est apud Deum, 1. Cor. 3. v. 19. ita vt proinde Metaphysica scientia præ hæc reuelata scientia nihili quodammodo sit facienda.

4 Assertio II. Tametsi quidem, si loquamur materialiter & in particulari, vel etiam adæquatè, & secundum omnes condiciones requisitas, de eo habitu, quem sapientiæ nomine vocandum censuit Aristoteles, Theologia proprie sapientia non sit: tamen si formalem & abstractam rationem sapientiæ, quam scientiæ vniuersim accepta superaddit, seu ex qua scientia quæpiam sapientiæ laudem iuxta eundem Aristotelem meretur, planè fatendum est, Theolo-

giam etiam ex mente ac doctrina Aristotelis, verè ac proprie sapientiam esse: & quidem excellentiori modo, quam Metaphysicam. Est ex mente S. Thomæ & aliorum Doctorum; cum quibus etiam hoc modo conciliari potest Durandus loc. cit. Probatur prior pars. Tum quia iuxta Aristotelem lib. 6 Eth. cap. 4. & 7. Sapientia est præstantissima scientiarum, quam proinde non minus, quam alias scientias, euidentem esse supponit: cum tamen Theologia nostra, de qua loquimur, euidentem non sit, nec proprie scientia, iuxta eundem Aristotelem, vt dictum dub. præcedenti. Tum quia iuxta Aristotelem, sapientia est ipsa Metaphysica scientia, vt videre est apud eundem ibidem, & lib. 1. Metaph. cap. 1. & 2. Theologia autem nostra etiam vtique est habitus à Metaphysicâ, & omnibus naturalibus scientijs hoc ipso distinctus, quod nititur reuelatione seu principijs reuelatis, non autem lumine naturali; vt naturales scientiæ, vt dictum supra q. 1. dub. 1. Denique Aristoteles de Theologia nostra nihil penitus cognouit; Ergo in enumeratione habituum, nullam eius rationem particulatim habuit: vtique naturales solum habitus recensere contentus, quos solos ipse nouerat.

5 Posterior pars eiusdem assertionis ita probatur & declaratur. Aristoteles enim sapientiam esse docet illam scientiam, cui sequentes condiciones conueniunt; quas proinde sapientia ex propria & formali sua ratione scientiæ vniuersim, aut certè alijs pluribus scientijs superaddit. Prima est, quod non solum ipsa conclusiones, sed etiam principia, nimirum prima & vniuersalissima nouit. Ita Aristoteles lib. 6. Ethic. cap. 7. vbi ait: *Sapientem igitur non solum ea, quæ ex principijs sunt cognoscere, sed etiam circa principia ipsa verum dicere oportet. Quare sapientia erit intellectus & scientia.* Et lib. 1. Metaph. cap. 1. ait: *Sapientiam circa primas causas, & principia, omnes arbitrantur versari.*

Secunda, quod sit scientia rerum præstantissimarum. Ibidem in Ethicis: *sapientia, inquit, est quasi habens caput scientiarum rerum præstantissimarum.* Et infra: *Constat igitur ex ijs, quæ dicta sunt, sapientiam esse rerum præstantissimarum naturâ scientiam & intellectum.*

Tertia, quod proinde sit scientia omnium nobilissima & præstantissima. Quod significat Aristoteles verbis citatis, & quando mox subiungit: *Absurdum enim est, si quis scientiam ciuilem, aut prudentiam, honestissimam esse existimat: & superius dixerat, excellentissimam scientiarum esse sapientiam.* Et lib. 1. Metaph. cap. 2. quinque istas sapientiæ conditiones ordine recenset, quas nos præcedentibus adnumerabimus.

Quarta igitur sapientiæ conditio est, quod maxime vniuersalia nouit. Primò, inquit Aristoteles, *opinamur sapientem maxime omnia, vti possibile est scire, non habentem singulariter eorum scientiam.* Et infra hoc ipsum declarans: *horum autem hoc quidem, omnia inquam scire, illi qui maxime vniuersalem scientiam habeat, necesse est inesse, hic enim quodammodo omnia subiecta (sue particularia) scit.*

Quinta, quod maxime difficilia nouit. Deinde *illum, inquit, qui difficiliora, neg, scitu facilia homini cognoscere possit, sapientem existimamus: sentire enim omnibus commune est, quamobrem facile; & neutquam sapiens est.*

Sexta quod sit scientia omnium certissima. Item

illum,

illum, inquit, qui certior, ac magis docere valens, causas reddat, sapientiam in omni scientia esse.

Septima, quod sit scientia speculativa, non practica; scientiarum quoque illam, inquit, quæ gratia sui ipsius, & propter ipsam scire, quam illam, quæ aliorum gratia eligenda sit, magis sapientiam esse.

Octava, quod sit scientia principalior siue superior, non subministrans. Et principalior, inquit, quam ei subministrans, potius sapientiam esse: non enim ut sapienti præcipiatur, sed ut illi præcipiat: nec vtile ab altero, sed ut ab eo minus sapienti suadeatur decet. Ita Aristoteles sapientiam describit; Vbi consulto nullum evidentiam mentionem fecit: quia Sapientia quoad hoc nihil peculiare addit scientiæ in genere; imo ex hac parte fieri potest, ut sapientia superetur ab alijs quibusdam scientijs: sicut reuera demonstrationes Mathematicæ evidentiores sunt, quam aliquæ demonstrationes Metaphysicæ, v. g. de Deo, &c.

Iam verò perspicuum est, omnes eas conditiones Theologiæ verè ac propriè conuenire, multoque verius, quam ipsi Metaphysicæ; quod sigillatim ita ostenditur. Primò enim Theologia & conclusio- num, & principiorum reuelatorum notitiam includit, non solum quia supponit, simulque necessariò coniunctam habet fidem, veluti habitum principiorum; sed etiam quia sua ipsius principia contra negantes probat, ac defendit, non solum deductione ad impossibile, vti Metaphysica, sed sæpe etiam directè, ex vno principio reuelato probans aliud, ut dictum supra q. 2. dub. 1.

Secundò est scientia rerum præstantissimarum, puta ipsius Dei, non solum ut principij & auctoris rerum naturalium, sed etiam supernaturalium; quocirca ea de Deo mysteria cognoscit, ad quæ Metaphysica penetrare minimè potest; vti est mysterium sanctissimæ Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiæ, &c.

Tertiò hoc ipso etiam est præstantissima omnium scientiarum; quia est de subiecto præstantissimo, & ex obiecto formali seu medio præstantissimo, utpote supernaturali, diuinæ reuelationis, ut pluribus dicitur quæst. 3. dub. 2.

Quarto est de rebus vniuersalissimis, nimirum de omni Ente, non solum naturali, vti Metaphysica, sed etiam supernaturali, ut patebit quæst. seq.

Quinto est de rebus difficilissimis; quæ omnem planè captum humanæ rationis excedunt; ut sunt illa, quæ diximus, aliaque complura Christianæ fidei mysteria; adeo quidem, ut sit supra omnem ratio-

nem naturalem, non tamen contra: cum tamen obiecta seu conclusiones Metaphysicæ naturale lumen rationis non excedant.

Sexto certitudine omnes planè scientias naturales, adeoque Metaphysicam etiam ipsam, longè superat, ut ex instituto cum S. Thomæ hic q. 1. a. 5. dicitur infra q. 4. dub. 3.

Septimo simpliciter est scientia speculativa, non practica, ut docet S. Thomæ hic q. 1. art. 4 & inferius cit. q. 4. declarabitur.

Octauo est scientiarum suprema, quæ nulli ministrat, omnibus imperat, omnes diiudicat; omnibusque naturalibus scientijs, etiam ipsa Metaphysica vtitur veluti ancillis: iuxta illud Apostoli 1. Cor. 2. v. 15. *Spiritalis iudicat omnia; & ipse à nemine iudicatur.* Et ratio est: quia ex altiori lumine, diuinæ scilicet reuelationis, procedit; cui subijci & seruire necesse est omne lumen & rationem naturalem; iuxta Apostolum 2. Cor. 10. v. 4. *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo, ad destructionem munitiorum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extolentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, &c.* Ex quibus abundè patet quod in assertionem diximus, si formalis ratio sapientiæ spectetur, ex qua scientia quæpiam iuxta Aristotelem sapientiæ nomen meretur, Theologiam nostram, etiam ex mente & doctrina Aristotelis, verè ac propriè sapientiam esse.

Atque ex his omnibus, quæ hactenus de Theologiæ genere disseruimus, colligitur, Theologiam ex suo genere esse habitum ac virtutem intellectualem argumentatiuam; Aristoteli tamen planè incognitam, nec vllam ex commemoratis ab eo 6. Ethic cap. 4. nisi quod ratio formalis & abstracta sapientiæ, ab eo in varijs locis descripta, quam ille soli Metaphysicæ conuenire existimabat, propriè, imò verius etiam Theologiæ competit, ut dictum. Quia tamen sapientia hac ratione vel non est propriè genus, sed species quædam præstantissima habituum intellectualium; vel si in tota sua latitudine sumatur, etiam habitibus genere diuersis conuenit, ut dictum, idcirco fatendum est, genus proximum Theologiæ innominatum esse, quod tamen ex dictis facile circumscribi potest, dicendo, esse habitum discursiuum ex principijs reuelatis, quæ talibus: hæc enim ratio generica communis est nostræ Theologiæ, cum eam quam euidentem habent Christus & beati, Atque hæc de Theologiæ genere relatis.

QVÆSTIO III.

De subiecto siue obiecto Theologiæ.

S. Thom. 1. p. q. 1. a. 3. 7. & 8.

Resolvitur hæc quæstio tribus dubijs. I. Quodnam sit obiectum Theologiæ totale & formale Quod, siue attributionis? II. Quodnam sit eius obiectum Quo; seu ratio formalis obiectiua Qua, seu propter quam? III. Verum præter rationem formalem obiectiuam Quam, siue propter quam, assignanda sit alia Theologiæ ratio formalis sub qua, & quanam illa sit?

DVBIVM I.

Quodnam sit obiectum Theologia
totius formale Quod, siue
attributionis.

S. Thom. 1. p. q. 1. a. 7.

Explicato Theologiæ genere, sequitur vt eius differentiam inquiramus; quæ, vti in cæteris habitibus operatiuis, ex obiecto desumitur. Id verò quia in omni scientia necessariò duplex constituitur, nimirum vt Quod, & vt Quo; seu obiectum vt res, & ratio formalis obiectiua Qua, seu per quam, aut propter quam; cui præterea nonnulli addunt rationem formalem sub qua; i- deo sublequentibus tribus dubijs sigillatim de singulis ordine agendum est.

Et quod ad obiectum Quod attinet; Notandū primò, obiectum Quod potentia seu habitus alicuius cognoscitiui generatim dici illud, quod per potentiam seu habitum cognoscitur; eiusq; cognitionem terminat. Hoc, respectu humanæ intellectiōnis, saltem eius, quæ in secunda vel tertia operatione intellectus consistit, duplex est; complexum scilicet, & incomplexum, iuxta communem apud Durandum in 3. dist. 24. q. 1. num. 16. & Caietanum in 22. q. 1. a. 2. Illud est ipsa conclusio, seu connexum ex subiecto & prædicato, quod principaliter scitur & cognoscitur, hoc verò est subiectum ipsius conclusionis scitæ, siue ipsa res, de qua est scientia. Quod propterea etiam in scientijs, vt & in fide, vocari solet subiectum, seu absolutè, seu cum addito, prædicationis, siue attributionis, ad distinctionem subiecti inhærentis.

Imò non desunt, qui contendant, hoc propriè non obiectum, sed solummodo subiectum dici: è quibus Durandum q. 5. prologi num. 6. vbi ait: *Illud est subiectum, de quo est scientia, & de quo est aliquid demonstratum in conclusione scitæ, &c. Propter quod magis propriè est subiectum, quam obiectum: non quidem subiectum in quo, sed de quo. Obiectum enim propriè sumptum est illud, quod primò & principaliter cognoscitur.* Eundem sequitur Vasquez hic disp. 10. cap. 1. vbi ait: *optimè notasse Durandum, hoc interesse inter obiectū & subiectum alicuius habitus, quod obiectū, si propriè loquamur, est id, quod primò & principaliter scitur talis est tota conclusio; illa enim tota cognoscitur.* Et infra pro eadem sententia citat Nominales.

Sed hoc discrimen non est constanter receptū à Scholasticis, nec antiquis, nec recentioribus. Si quid è S. Thomas licet in prologo sent. a. 4. eius distinctionis videatur aliquam rationem habuisse, quin etià hæc q. a. 7. constanter subiecti vocula vtatur; tamen superius a. 3. ad 2. materias nō tantum potentiarum, sed etiam habituum vocat obiectū. Et in 2. 2. q. 1. a. 1. Deum vocat obiectum fidei; & ibidem a. 2. dicit obiectū fidei etià esse aliquid incomplexum; scilicet ipsam, inquit, de qua fides habetur. Eodem modo Scotus q. 3. prologi indiscriminatim idem appellat subiectum & obiectum, vt

fatetur etiam Vasquez citat. disp. 10. cap. 1. n. 2.

Item Capreolus q. 4. prolog. art. 1. licet antea eius discriminis mentionem fecerit, idq; etià ipse approbasse visus sit, asserens, subiectum scientiæ propriè loquendo distingui ab obiecto, mox tamè post conclus. 2. addit: *quandoq; vnum poni pro alio: quia etiam subiectum, inquit, est obiectum scientiæ vltimatum.* Et inferius ponit hanc quintam conclusionem: *Deus est subiectum Theologiæ, & formale obiectum, sicut quod cognoscitur per habitum Theologicum primò & per se.* Et addit: *Istam intendit S. Thomas 1. parte vbi dixi statim, nimirum q. 1. a. 7.* Vbi vides, non solum ita loqui Capreolum, sed in eadem etiam sententiam referre S. Thomam. Sed & Durandum ipse etiam subiectum, de quo aliquid scitur vel creditur, quandoque obiectum vocat, vt initio huius dubij notauimus. Eodem modo loquitur Caietanus vna cum Durando citatus; item Ioannes de Bassolis q. 3. prol. a. 1.

Eodem modo Gregorius de Valentia hic q. 1. p. 3. §. 5. *soler, inquit, subiectum scientiæ vocari etiam obiectum formale Quod.* Item Suarez Metaph. d. 1. sect. 1. vbi de subiecto agit, constanter obiecti voce vtitur. Hosigitur nos etiam sequuti, promiscuè in præsentis subiecti & obiecti voce vtetur; cum præsertim ipsa etiam ratio huic loquendi modo faueat. Verè enim res illa intellectui obijcitur, quæ cognoscitur, quæque adeo cognitionem terminat, seu de qua est cognitio; nec in ea loquendi maior, quam in opposita (vbi subiectum quandoque nescias, prædicationis ne inhærentis dixeris) sed potius minor est æquiuocationis & ambiguitatis occasio. Quod si necesse fuerit, ad æquiuocationem tollendam, addeamus voculam Complexum, vel incomplexum, aut simile quippiam.

Notandum secundò, Obiectum Quod incomplexum scientiæ seu habitus cognoscitiui, rursus multiplex esse. Primò enim aliud est materiale, duntaxat; aliud formale Quod. Materiale est res ipsa, quæ à scientia consideratur, absolutè & in se spectata. Formale Quod, includit simul rationè formalem Quæ; adeoque est res eadem sub certa quadam formalitate; quæ est ratio, ob quam res illa in ea scientia consideratur; quæque adeo vel maximè ac per se in scientia attenditur, ac ex parte subiecti præsupponitur. Qua ratione Obiectum formale Quod Physiçæ dicitur esse corpus naturale, qua tale; quia ratio naturæ in illo maximè attenditur. Ita etiam Metaphysiçæ obiectum formale Quod est Ens vt Ens; quia communissima ratio Entis, eiusq; passiōes & prædicata vt sic, per se in Metaphysica spectantur. Et hoc ipsum obiectum in scientijs naturalibus etiam simul solet esse fons & subiectum passionū, quæ in ijs demonstrantur. Id verò obiectum nō solū assignari potest respectu totalis scientiæ; sed etià respectu partialis; vt v.g. in Physiçæ respectu diuersorum partium corpus naturale simplex, aut mixtum, aut animatum, quæ tale, &c.

Vnde rursus vtrumque tam materiale, quam formale obiectum Quod, aliud est totale & adæquatum scientiæ; aliud partiale & inadæquatum. Illud rotius scientiæ seu habitus; hoc par-

tialis tantum alicuius notitiæ obiectum est.

Tertio obiectum Quod aliud est attributionis, aliud communitatis, ut vocant. Hoc in recto de omnibus quæ in scientia tractantur prædicari necesse est; etsi fortassis non in omnibus scientiis necessario sit assignandum, ut rectè Vasquez hic disp. 9. cap. 3. & disp. 10. num. 14. illud non item; sed satis est, ut omnia, quæ in scientia tractantur, ad illud cognoscendum aliquo modo referantur; siue ut principia, siue ut passiones, & accidentia, aut alio quouis modo cum eo affinitatem quandam & coniunctionem habentia.

His positis, in proposito non est quaestio de obiecto Theologiæ complexo; id enim constat esse omnes illas veritates, quibus per Theologiæ habitum assentimur; siue sint de Deo, siue creaturis, eorumque affectionibus, &c. Nec est quaestio de incomplexo eius obiecto materiali; id enim generatim constat esse omnia & singula, de quibus elicitur assensus Theologicus; seu quod idem est, omnia & singula subiecta noticiarum siue conclusionum Theologicarum.

Nec est magna admodum difficultas de Theologiæ subiecto, siue obiecto, uti vocat, communitatis. Hoc enim non potest esse aliud, quam Ens in latissima significatione, prout ad Deum aliquam habet attributionem siue habitudinem. Cum n. Theologia, uti & fides, sit de omni genere Entis, etiã latissime accepti, prout videlicet comprehendit non solum Deum & creaturas, sed etiam negationes & priuationes, quales cernuntur in peccatis, poenis, aliisque malis etiam naturalibus, idcirco fieri non potest, ut aliqua contradiçtor ratio Entis pro obiecto communitatis assignetur.

Nec in re dissentiant illi, qui pro subiecto communitatis totius Theologiæ assignant, *Ens diuinum*. Quo modo loquitur Capreolus q. 4. prologi a. 1. & sequuntur nonnulli recentiores; & significat etiam ipsemet S. Thomas in 1. sent. prolog. q. vn. art. 4. ubi ait, *Subiectum Theologiæ esse Ens diuinum, cognoscibile per inspirationem*. Tametsi ut verum fatear ipse hic modus loquendi mihi non proberetur. Horret enim animus dicere, peccata, quæ vel maximè etiam in Theologia considerantur, esse Entia diuina; quod perinde est, ac si quis diceret, morbos, quos medicina curat, & considerat, esse sanos; eo quod Medicina consideret omnia in ordine ad sanitatem, ut ibidem etiam docet S. Thomas. Non ergo equidem peccatum Ens diuinum; sed potius, quamuis inuita Grammatica, indiuinum, & à Deo vel maximè alienum dixerò. Sed ubi de re constat, de verbis non magnopere contendendum est.

4. *Quaestio igitur & dubitatio solummodo in presenti est, de totius Theologiæ obiecto formali Quod, siue attributionis: de qua re variaz referuntur Doctorum præcipue antiquiorum sententiæ; quas etiam nos breuiter recensebimus. Prima igitur sententia est Magistri sententiarum lib. 1. initio dist. 1. qui docet, Theologiæ subiectum esse res & signa: cuius tamen procul dubio mens non fuit, obiectum formale Quod Theologiæ assignare; sed materiale tantum; idque non tam attributionis, quam com-*

munitatis, ut dictum, iuxta S. Augustinum, quem ibidem citauit lib. 1. de doctr. Christiana cap. 2.

Secunda sententia est Hugonis Victorini, in prologo summæ cap. 2. ubi docet, Theologiæ obiectum esse opera reparationis humanæ, siue mysterium Redemptionis nostræ; quam sententiam refert etiam tacito authoris nomine S. Thomas hic q. 1. art. 7.

Tertia est Linconiensis, & Cassiodori apud Scotum q. 3. prol. assentientium, subiectum huius sacre doctrine esse totum corpus Christi mysticè una cum suo capite; hoc est, Christum & Ecclesiam: quam ibidem refert S. Thomas loc. cit.

Quarta est Alensis 1. q. 1. memb. 3. qui docet, materiã sacre scripturæ (quo nomine etiã Theologiam intelligit) assignari posse vel secundum essentiam; & hanc esse Deum: vel secundum operationem; & hanc esse opus restaurationis: vel secundum virtutem; & hanc esse Christum. Unde infert, totam materiã Theologiæ esse substantiam diuinã, cognoscendam per Christum in opere reparationis.

Quinta est Durandi q. 2. prologi num. 9. 13. & 2. ubi cum triplicem distinxisset Theologiam, ut dictum supra quaest. 2. dub. 2. subiectum eius primo & tertio modo acceptæ, videlicet pro habitu fidei, & conclusionum ex ea deducarum, dicit esse actum meritorium; secundo verò modo acceptæ, pro habitu explicante & defendente mysteria fidei, esse Deum sub ratione Saluatoris.

Sexta est distinguendum triplex obiectum, siue subiectum Theologiæ; videlicet radicale, seu perfectione primum; integrale siue continentia; denique vniuersale seu commune: è quibus primò dicunt esse Deum; secundum, Christum secundum utramque naturam, imò cum omnibus membris mysticis; tertium res & signa. Ita Bonauentura q. 1. prolog. Ockam q. 3. Gabriel q. 1. a. 2. & fauet Albertus 1. part. sum. tract. 1. q. 3. memb. 1. & in 1. d. 1. a. 2.

Septima sententia docet, primum subiectum Theologiæ esse Deum, sub ratione glorificatoris. Ita Ariminenis q. 4. prolog. art. 2. & Marsil. q. 2. a. 5. quibus consentit Albertus in 1. d. 1. a. 2. quatenus asserit, obiectum speciale esse Deum, ut est Alpha & Omega, principium & finis: quod etiam ferè docet Ægidius 1. part. prol. q. 3.

Octaua sententia est Ioannis de Bassolis, in prol. q. 3. art. 2. Deum sub ratione *Deitatis* esse quidem subiectum Theologiæ, versantis circa veritates absolute necessarias; sed non etiam eius, quæ est de contingentibus, puta Iustificacione, Incarnatione &c. sed sub aliã quadã ratione, nimirum *volentis*.

5. *Assertio I. Obiectum siue subiectum attributionis, & adæquatam totius Theologiæ est Deus. Ita S. Thomas hic q. 1. a. 7. & communis Doctorum, quos pro asser. seq. citabimus. Probatur his rationibus. Prima. Quia illud est subiectum attributionis, & adæquatam totius scientiæ, ad quod cætera omnia, quæ in eadem scientia cognoscuntur referuntur, vel ut partes subiecti, aut constituentes, adeoq; ut principia; vel ut proprietates; vel ut effectus, seu operationes; aut simili quadam habitudine:*

sed omnia

sed omnia quæ cognoscuntur in Theologia habet se ad Deum, vel instar partium quasi subiectiuarum; vt sunt tres personæ diuinæ; quæ etsi propriè utiq; non sint partes subiectiuæ, tamen instar earum quodammodo se habent: vel instar proprietatum, vt sunt attributa Dei; vel tanquam effectus & operationes, vt sunt opera tam naturæ, quam gratiæ; adeoq; etiã ipsa opera Redëptionis & glorificationis; vel vt media, seu his opposita; vt sunt operationes humanæ, virtutes & vitia, leges, &c.

Atque hæc etiã est ratio S. Thomæ hic cum ait: *scenim se habet subiectum ad scientiam; sicut obiectum ad potentiam vel habitum. Propriè autem illud assignatur obiectum alicuius potentia vel habitus, sub cuius ratione omnia referuntur ad visum, in quantum sunt colorata; unde coloratum est proprium obiectum visus: Omnia autem pertractantur in sacra doctrina sub ratione DEI, vel quia sum ipse DEVS, vel quia habent ordinem ad Deum, vt ad principium & finem: Unde sequitur quod Deus verè sit subiectum huius scientiæ* Ita S. Thomas.

Atque sic suo quodam modo verificatur etiã illa conditio ad subiectum adæquatam requisita à Scoto q. 3. prol. vt nimirum virtute contineat omnes veritates scientiæ, vt rectè declarant Gregorius de Valentia, & Vasquez infra. Quanquam hæc conditio propriè tantum locum habet in scientijs naturalibus, quarum principia petuntur ex natura subiecti; nec eo sensu adeo rigido necessaria est, quem Scotus intendit, vt pluribus Caietanus hic q. 1. art. 7.

Secunda & similis ratio est ista. Subiectum attributionis cuiusque scientiæ est illud, quod cum sit quiddam incomplexum, præcipuè ac propter se, & ppter quod cætera omnia in eadè scientia tractantur: sed hoc respectu Theologiæ est Deus: Ergo &c. Maior patet ex dictis, & traditur ex comuni apud Durandū q. 5. prologi, Capreolum q. 4. Vasquez hic disp. 10. n. 2. nisi quod hi ptereare grunt, vt de subiecto aliquid denominatiuè prædicetur. Sed quæ conditio nõ tã videtur præquisita ad subiectum scientiæ, quã consequens. Deinde nõ est communis scientiæ generatim accepte, sed eius tantum, quæ ex natura subiecti demonstrat passiones, vel e contra; quod nõ fit in Theologia, in qua etiã si de Deo nihil denominatiuè prædicari posset, adhuc tamè Deus esset subiectum Theologiæ: quanquã etiã hic utiq; nõ deficit hæc conditio; cū etiã de Deo multa denominatiuè, aut quasi denominatiuè prædicentur, vt esse creatorè, Redëptorè, &c. Minor propositio pbatur, tū ex ipso nomine Theologiæ, significatè sermonè aut rationè de Deo; tū quia per se notū videtur, rerū creatarū cognitionem in Theologia esse propter cognitionè Dei, veluti præfationè, & nõ hæc ppter illã: tametsi vtraq; ex parte cognoscētis referatur ad aliquod opus, puta charitatem Dei; quæ est finis Cuius totius cognitionis huius vitæ.

Tertiò. Idè est subiectum totale attributionis scientiæ alicuius, quod est subiectum totale habitus principiorū eiusdè: cū subiectum cõclusionis idè sit cū subiecto præmissæ siue principij; salte in syllogismo perfectio: atqui subiectum fidei, qui est habitus principiorū Theologiæ, est Deus: Ergo: &c. Eandè

rationem habet etiã S. Thomas hic cit. q. 3. a. 7.

Quartò. Fides, & Theologia, eiusdè subiecti cõtinèt cognitionè obscurã, cuius in cœlis habebim⁹ clarã & euidentè cognitionè p visionè beatificã: Idè n. nunc *videmus per speculũ in enigmate*, quod *tunc facie ad facie*, iuxta Apostolũ 1. Cor. 13. v. 12. sed beatificæ visionis totale & adæquatũ obiectum saltem attributionis est Deus, vt patet: Ergo.

Obijcitur primò. Cognitio illa est principalior & magis intenta, quã imediatius attingitur finis Cuius nostræ cognitionis in hac vita: sed finis Cuius totius cognitionis nostræ in hac vita est Charitas, vt dictum in secunda ratione: Ergo cognitio charitatis est principalior & magis intenta.

Respondetur, negando primã propositionè. Ea enim cognitio potior est, & principalior, quæ & obiecti præfationis est, & altiori modo conducit ad eũ finè Cuius; quãq; adeo est cognitio ipsius vltimi finis Cui; qualis est cognitio ipsius Dei; quæ velut vniuersalis quædã & transcendens causa dirigit nos ad Deũ amandũ; ac bene ppter ipsũ operadũ.

Obijcitur secūdò. Quicquid referatur ad subiectum cognitionis, id referatur ad ipsã subiecti cognitionem: sed cognitio Dei in hac vita referatur ad charitatem; vt dictum: Ergo etiã ad ipsam charitatis cognitionem.

Respondetur rursus negando maiorè. Quia potest quidè cognitio obiecti præfationis esse min⁹ præfata, quã sit obiectum aliquid inferi⁹ alia cognitione cognitũ; sed nõ tamè quã ipsa cognitio, quæ hoc obiectum, vt pote inferius, cognoscitur: sequitur enim præstantia cognitionis, in eodè genere, & cæteris paribus, præstantiã obiecti siue subiecti. Ita verò se res habet in proposito. Cognitio Dei in hac vita est quidè dignitate inferior ac min⁹ præstantans, quã charitas siue dilectio Dei; iuxta Apostolũ 1. Cor. v. 13. *Maior autè horum est charitas*: quæ de causa rectè etiã ad charitatè veluti finè cuius in hac vita ab hominè consequendũ ordinatur: at nõ tamen dignitate inferior est ipsa cognitione charitatis, sed multo excellentior & perfectior etiã in hac vita. Quo fit, vt cognitio Dei nõ ordinetur tanquã mediũ ad cognitionè charitatis, sed è cõtrario cognitio charitatis ad cognitionem Dei, quantumuis hæc ipsa in hac vita ad charitatem, veluti finem referatur.

Assertio II. Obiectum adæquatum & formale Quod totius Theologiæ est Deus, vt Deus; siue sub ratione Deitatis, & non sub aliqua ratione contradietore. Ita S. Thomas hic q. 1. a. 7. Henricus in summa art. 19. q. 1. Richardus q. 6. prolog. Scotus q. 3. Aureolus q. de subiecto art. 4. Capreolus q. 4. a. 1. Maior quæst. 7. & communiter recentiores, Caietanus, Bannes, Zumel hic quæst. 1. art. 7. Canus lib. 12. loc. cap. 2. Molina cit. a. 7. Gregori⁹ de Valentia q. 1. p. 3. Vasquez hic disp. 10. cap. 5. Probatur ipsè rationib⁹, quibus priorè assertionè probauimus; præsertim prima & secunda. Nã Deus vt De⁹, est què propter se, & propter quem cætera Theologia considerat. Non enim consideramus Deũ secundũ se, propter eundè, vt habet respectũ aliquem ad creaturas; sed hæc potius cognitio referatur ad illam; tum quia magis concreta, adeoq; posterior, tum quia etiã

aliquo modo inferior est illa, ut in simili etiam de fide docetur.

Accedit, quod obiectum formale Quod scientiæ, debet esse ita simplex & incomplexum, ut non includat vllum prædicatum ipsius scientiæ; seu quod in scientia de subiecto probatur: quandoquidem obiectum illud, ut sic, debet esse subiectum prædicationis artificialis cuiuslibet in eadē scientia; quod proinde supponere debent prædicata, quæ in eadem scientia de eo colliguntur: Ergo Deus nec sub ratione glorificatoris, nec sub ratione Redemptoris, aut aliqua alia respiciēte creaturas, est subiectum Theologiæ: cum omnes illæ rationes prædicati locum habeant in Theologia. Quam rationem ex Ockamo & Gabriele rectè etiā prosequitur Vasquez loc. cit. num. 16. & 17.

Obicitur, ex dictis consequens esse, in Theologia tractanda fore infinita; cum de Deo, ut Deus est, infinita cognosci possint. Respondetur negando sequelam: quia ratio formalis obiecti Quæ, nempe Deitas, ut est scibilis per Theologiam, cōtrahitur per rationem formalem sub Qua, quæ est reuelatio fidei, seu fides ipsa, ut dicemus. dub. seq. per quam non omnia, quæ de Deo absolute cognosci possunt, panduntur, ut patet. Alias quantum est per habitum Theologiæ secundum se, & suam essentiam spectatum, nil obstat, quo minus eo cognoscantur omnia, quæcunque de Deo sciri absolute à creatura possunt. Atque vtrumque horum optimè etiam notauit Scotus q. 3. & Capreolus q. 4. prolog. art. 2. & ante vtrumque S. Thomas q. 14. de verit. art. 8. ad 16.

Atq; ex his colligitur, quid de sententijs superi⁹ cōmemoratis sentiendum sit. Prima enim assignauit quidè vtrumq; adæquatū obiectū Theologiæ; quia oña quæ in Theologia tractantur, vel sunt res, vel signa, rei sacræ nimirū, siue sacramenta; aut certè habent ordinè quendā ad ista; at verò obiectū formale Quod adæquatū non assignauit, ut bene notauit etiam S. Thomas hic q. 1. a. 7.

Secunda nec materiale quidè obiectū adæquatū bene assignauit; quia SS. Trinitatis mysterium nō minus per se & principaliter, quam opus humanæ Reparationis, imò etiam magis principaliter, adeoque independenter planè à Redemptione humani generis, in Theologia tractatur, ut rectè etiam notauit Scotus cit. q. 3.

Tertia itidem non assignauit obiectum adæquatū, ob eandē causam, ut plurib⁹ Scotus loc. cit.

Quarta sine causa multiplicauit obiectū attributionis in Theologia. Nec omnino expressit rationè formale Quæ, secundū quā oña cōsiderantur in Theologia, ut in simili dixit S. Thomas hic cit. a. 7. præsertim quādo posteriora duo nec obiecta quidem sunt adæquata Theologiæ, ut antea dictum.

Quinta malè distinguit vniuersim habitum Theologiæ explicantem & defendentem mysteria fidei, ab habitu conclusionum Theologiæ, ut dicitur quæst. 4. quando de vnitatem Theologiæ agem⁹; proinde malè etiam diuersum vtriusque subiectū adæquatū assignat: denique non rectè etiam fidei, & habitus conclusionum Theologicarū subiectum adæquatū constituit actum meritorium:

quia Deitas ipsa, in se, & ipsa Sanctissima Trinitas nō respiciuntur à fide, siue habitu illo Theologico propter actum meritorium; sed hic potius propter Deum, vel uti finem, ad quem consequendum act⁹ meritorium refertur, ut superius dictum.

Sexta frustra etiam multiplicat triplex obiectum adæquatū, siue attributionis, ommissa ratione formali Quæ; ob quam, & in ordine ad quam, omnia tractantur. Deinde non rectè Christum vñ cum Ecclesia assignat pro obiecto adæquato Theologiæ, ut circa secundam opinionem dictum.

Septima male rationem Glorificatoris assignat pro ratione formali Quæ subiecti Theologiæ, ut in secunda assertione dictum.

Octaua sine fundamento diuersam rationem, formalem Quæ assignat, respectu veritatum necessariorum, & contingentium; quando etiam hæc, licet quoad sui existentiam & productionem, supponant liberam actionem Dei: tamè ex parte cognitionis quæ omnia faciunt & referuntur ad cognitionem ipsius Dei; tanquam effectus seu operationes liberæ eiusdem; ut quòd Deus creauit cælum & terram; ex his enim ipsis etiam inuisibilia Dei cognoscuntur, iuxta Apostolom Rom. 1. v. 19.

DVBIVM II.

Quodnam sit Theologia obiectum formale Quo; seu ratio formalis obiectiua Quæ, siue propter quam.

S. Thom. 1. p. q. 1. a. 3. & 8.

Non proposuit quidem S. Thomas ex instituto hanc quæstionem; sed suam tamen de eam mentem ac sententiam satis exposuit hic q. 1. a. 3. vbi de vnitatem Theologiæ agit, partim etiam art. 8. vbi agit de ipsius modo argumentandi.

Pro resolutione autem huius dubitationis, Notandum ex Capreolo q. 4. prologi art. 1. & Caietano hic q. 1. art. 3. & Cano lib. 12. loc. Theolog. cap. 3. ac recepta Philosophorum ac Theologorum doctrina, præter obiectum incomplexū materiale cuiuscunque potentia, seu habitus cognoscitiui, & rationem formalem Quæ, ipsumq; adeo obiectum formale Quod, ex materiali illo ac formali ratione Quæ constitutum; quod etiam vniuersim à Caietano, & quibusdam alijs, vocatur obiectum ut res; assignandam etiam esse certam quandam rationem formalem ex parte obiecti, per quam, seu propter quam obiectum ut res moueat potentiam seu habitum cognoscitiuum; seu quæ sit ratio quædam nō effectiue ut sic, sed obiectiue mouens potentiam seu habitum ad cognitionem materialis obiecti: quæ etiam propterea dici solet ratio formalis obiectiua, vel absolute, vel cum addito, Quæ, seu propter quam, vel per quam; item obiectum quo, seu obiectum ut obiectum. Quale v. g. respectu visus est lumen, per quod color videtur; respectu scientiæ, aut cuius-

libet habitus discursiui, sunt ipsa principia, seu media, ex quibus, seu per quæ cognoscitur conclusio.

Quæ est etiam expressa doctrina S. Thomæ in 2. 2. q. 1. art. 1. ubi ait: *Sciendum, quod cuiuslibet habitus cognoscitiui obiectum duo habet; scilicet id quod materialiter cognoscitur; quod est sicut materiale obiectum; & illud per quod cognoscitur; quod est formalis ratio obiecti. Sicut in scientia Geometrica materialiter scita sunt conclusiones; formalis verò ratio sciendi sunt media demonstrationis, per quæ conclusiones cognoscuntur.* Idem habet q. 2. de virt. art. 13. ad 6. ubi docet, ob rationem diuertam eiusdem obiecti mutari essentiam habitus: *Habitus, inquit, per se respicit rationem formalem obiecti magis, quam ipsum obiectum materialiter. Et ideo si formalis ratio obiecti tollatur, species habitus non manet; sicut formalis ratio scientiæ est medium demonstrationis. Ideo memoriter tenens conclusiones Geometriæ, si non propter media geometrica eis assentiat, non habebit Geometriæ scientiam.*

Eodem modo lib. 3. sent. dist. 24. q. 1. a. 1. quæstione 1. itidem docet, ex hoc obiecto distingui potentias & habitus: *In obiecto, inquit, alicuius potentia contingit tria considerare; scilicet illud quod est formale; & illud quod est materiale; & illud quod est accidentale. Sicut in obiecto visus; quia formale in ipso est lumen, quod facit colorem actu visibilem; materiale verò est color; qui est potentia visibilis; accidentale verò sicut quantitas, & alia, quæ comitantur colore. Et quia unumquodque agit secundum quod est actus, & per suam formam; obiectum autem est actiuum in virtutibus passiuis; ideo ratio obiecti, ad quam habet proportionem potentia passiuæ, est illud, quod est formale in obiecto: & secundum hoc diuersificantur potentia & habitus, qui ex ratione obiecti speciem recipiunt. Hactenus S. Thomas. Eodem modo loquitur hic q. 1. art. 3.*

Ex quibus rectè etiam colligit Capreolus loc. cit. rationem obiectiuam alicuius habitus dici illud, quod est causa cognoscendi obiectum tanquam mouens intellectum ad cognitionem. Et superius conclus. 3. in eundem sensum dixerat, formalem rationem obiectiuam alicuius habitus scientifici esse illud, quod est causa per se, quod aliquid per illum actum attingatur.

Hoc supposito, in quo omnes videntur conuenire, quatuor sententia de proposita quæstione generatim possunt referri.

Prima sententia est, Theologiæ rationem formalem obiectiuam immediatam (quæ scilicet est ipse assensus principiorum, vt dicitur) intrinsicè esse naturalem; videlicet principia reuelata, vt per humanam solummodo fidem, credita; seu quod idem est, naturalem assensum principiorum reuelatorum. Ita consequenter sentire debet Gabriel Vasquez, dum docet, habitum Theologiæ esse opinatiuum, qui procedat ex principijs reuelatis humana solum fide creditis, vt dictu q. 2. d. 2. Qui propterea etiam disp. 7. cap. 4. dicit: quemadmodum medium demonstrationis in quacunque scientia dicitur ratio formalis sciendi aliqua; sic in Theologia medium & principium, quod assumit ad inferendas conclusiones, est obiectum formale ipsius. Et infra docet, rationem obiecti Theologiæ esse principia, quatenus creduntur esse reuelata; siue assensus ille sit diuinæ, siue hu-

mana fidei, iuxta variam hac de re sententiam: Ipse autem Vasquez, vt loc. cit. vidimus, sentit esse assensum fidei solum humanæ.

Secunda sententia est, rationem formalem obiectiuam esse partim naturalem, partim supernaturalem. Ita apertè Albertinus tom. 1. 3. princip. coroll. 1. num. 20. ubi ait: *Ratio assentiendi conclusioni Theologiæ esse lumina supernaturale, mixtam cum lumine naturali.* Quod ipse vniuersim sentit de omni assensu Theologico, etiamsi procedat ex duabus præmissis reuelatis: quia nihilominus saltem euidencia consequentiæ est naturalis; quam proinde supponit esse rationem assensus, saltem partialem. Idem significat Gregorius de Valentia, hic q. 1. punc. 3. §. 3. ubi ait: *Rationem sub qua Theologiæ non esse quomodocunque reuelationem diuinam inuidentem, sed mouentem intellectum ad assensum Theologicum, si non ante discursu; cum ratio fidei sine discursu moueat.* Et clarius tom. 3. disp. 1. q. 1. p. 2. ad 1. ait, assensum Theologicum non niti sola reuelatione; sed partim quoque lumine naturali, siue quoad alteram præmissam, siue saltem quoad vim consequentiæ: quanquam fateor, hæc etiam iuxta mentem tertii sententiæ non incommode accipi posse.

Ratio autem præcipua huius sententiæ esse videtur: quia id, per quod essentialiter distinguitur fides à Theologia, necessariò pertinet ad rationem formalem obiectiuam; ex hac enim sumitur essentialis inter istos habitus differentia; & non tantum ex diuersa applicatione eiusdem rationis: sed fides & Theologia distinguuntur per hoc, quod hæc sine discursu, illa formaliter per discursum assentiatur suo obiecto: Ego ratio discursus pertinet ad rationem formalem obiectiuam Theologiæ, & non tantum ad applicationem eiusdem: & per consequens ratio formalis obiectiue Theologiæ non est planè supernaturalis, vt est assensus diuinæ fidei; sed ex parte etiam naturalis.

Tertia sententia est, rationem assentiendi Theologiæ verè & propriè dictam esse merè supernaturalem. Quæ tamen sententia rursus variè explicatur. S. Thomas disp. q. 1. ad 2. ait: *De istis rebus, de quibus Physicæ disciplina tractant, tractat etiam scientia Theologiæ, secundum quod cognoscuntur lumine diuinæ reuelationis.* Vbi cognoscibile lumine diuinæ reuelationis, seu ipsum lumen diuinæ reuelationis, videtur assignare pro ratione formali obiectiua Theologiæ. Idem art. 3. ait: *Quia sacra scriptura considerat aliqua, secundum quod sunt diuinitus reuelata, omnia quæcumque sunt diuinitus reuelabilia, communicant in una ratione formali obiectiuius scientiæ; & ideo comprehenduntur sub sacra doctrina, sicut sub una scientia.* Et ibidem ad 2. dicit: *Ea quæ in diuersis scientijs physicè tractantur, potest sacra doctrina una existere, considerare sub una ratione, in quantum sunt diuinitus reuelabilia.* Quo vtroque loco reuelabile, seu reuelabilitatem, videtur pro ratione formali obiectiua assignare: adeo vt S. Thomas promiscuè aliquando reuelationem diuinam, aliquando reuelabilitatem rationem formalem obiectiuam Theologiæ constituat.

Quod Capreolus q. 4. prol. art. 7. in fin. ita explicat

plicat, distinguendo, ut vidimus, in Theologia, præter rationem formalem obiecti cognitã, quæ est ipsa ratio Deitatis, duplicem aliã rationem formalem obiecti, videlicet rationem cognoscendi, & rationem (ut ipse vocat) *quæ accidit cognito, & denominat illud propter rationem cognoscendi*: quarum prior esse dicit lumen diuinæ reuelationis; alteram ipsam reuelabilitatem. Qui proinde etiam ibidem conclus. 6. Ratio, inquit, *formalis Theologiæ, sicut quæ aliquid in Theologia cognoscitur, est lumen diuinæ reuelationis; & similiter formalis ratio obiecti Theologiæ, ut obiectum est, est hoc, quod dicitur reuelabile, vel cognoscibile lumine diuinæ reuelationis.*

Caictanus quoque hic q. 1. a. 3. indifferenter dicit, reuelabilitatem diuinam, seu lumen diuinæ reuelationis esse rationem formalem sub qua, ut ipse vocat. Canus lib. 12. loc. Theolog. cap. 3. ait, Theologiæ nostræ eandem rationem esse ac fidei; etsi toto genere differant, quod hæc cum discursu, illa sine discursu ad assensum moueat. Molina hic q. 1. a. 3. ait, rationem sub qua Theologiæ esse scibile per reuelationem, seu ex præmissis reuelatis: cognoscibile verò per reuelationem immediatè, esse obiectum fidei.

Dominicus Bannes q. 1. a. 3. controuers. 1. ait: Diuinam reuelationem (seu reuelabilitatem) esse rationem formalem, sub qua obiectum Theologicum specificat Theologiam. Idem art. 3. ad 7. ait: *In discursu Theologico, in quo utraq; præmissa est de fide, lumen naturale, quo iudicatur bonitas conclusionum, non est ratio formalis assentiendi, sed conditio & quasi applicatio rationis formalis antecedentis ad conclusionem.* Et infra dicit; etiam si altera præmissa sit naturaliter euidens, nihilominus conclusionem esse Theologicam: quia, inquit, *talis præmissa non assumitur à Theologo propter se, sed propter ministerium ad officium Theologi; quod per se est ex rebus fidei conclusiones deducere.* Vnde quod idem Bannes supra ad 5. dixerat; *Theologicis conclusionibus assentimur per duo lumina, quæ ad assensum concurrunt*, non videtur præcisè de ratione formali obiectiua intellexisse; sed in communi de omni eo lumine, quod ad assensum Theologiæ necessarium est.

Eodem modo Franciscus Zumel q. 1. docet, rationem formalem sub qua Theologiæ esse diuinã reuelationem, & lumen supernaturale. Et q. 2. *Eadem est, inquit, ratio formalis nostræ Theologiæ & Catholica fidei, sicut eadem est ratio formalis habitus primorum principiorum, & habitus conclusionum.* Eam verò rationem inferius dicit esse diuinam reuelationem. Vnde art. 7. q. 1. ait: *Dico quinto, quod discursus syllogisticus non est ratio formalis assentiendi conclusioni; sed est quasi applicans rationem formalem, quæ est in præmissis ad ipsam conclusionem, id quod contingit in omnibus alijs scientijs.* In eundem sensum etiam alij Theologi obiectum formale Theologiæ vocant diuinam reuelationem, seu reuelabilitatem; siue ut nonnulli loquuntur, cognoscibile per reuelationem ineuidentem, per discursum applicatam.

Eodem modo ex antiquioribus loquuntur Scotus q. 2. & 3. prologi; & quoad habitum deductiuum conclusionum Theologicarum (quem tamen cum fidei habitu malè confundit) Aureolus q. 1. prolog. a. 2. Omitto eos, qui rationem assen-

tiendi Theologiæ assignarunt lumè quoddam euidens, seu ipsius fidei, seu à fide distinctum de quibus dictum supra q. 2. dub. 3.

Quarta sententia distinguit inter duplicem Theologiæ habitum, iuxta ea quæ tradidimus q. 2. dub. 2. & mox dicemus.

Vbi tamen rursus supponimus, sermonem esse de Theologia, secundum proprium officium spectatam, prout nimirum vel ex duabus præmissis reuelatis, vel ex vna reuelata & altera naturaliter euidente, per euidentem consequentiam colligit conclusionem, eiq; assentitur.

Assertio I. Theologiæ ratio formalis obiectiua non est ratio discursus; siue naturalis euidentiæ consequentiæ. Videtur ex mente auctorum tertie sententiæ; & expressè, ut vidimus, traditur à Banne & Zumel locis cit. Eodemque modo loquitur S. Thomas, locis antea citatis, in quibus nunquam dicit, rationem consequentiæ esse rationem assentiendi, siue in Theologia, siue in alijs scientijs; sed in his, media seu principia demonstrationis; in illa reuelationem seu reuelabilitatem, &c. Probat. Quia sicut se habet agens naturale ad suum effectum, ita etiam principia seu præmissa, siue assensus principiorum ad assensum conclusionis: sicut enim illud, ita etiam ista in suo genere sunt causa sufficiens sui effectus; certè nulla solida ratio diuersitatis assignari potest: Ergo etiam sicut se habet approximatio ad passum, respectu agentis naturalis, ad effectum naturalem, ita etiam recta dispositio & collocatio præmissarum; siue ratio consequentiæ, ad assensum conclusionis: alias enim inter causam naturalem, & præmissas siue principia, non seruaretur proportio: atqui approximatio illa tantum se habet per modum conditionis applicantis passum seu agens naturale: Ergo etiam recta dispositio & collocatio terminorum ac præmissarum tantum se habet per modum conditionis applicatis obiectum formale, seu principia & præmissas. Idem in simili de fide rectè tradunt & explicant Gregorius de Valentia tom. 3. d. 1. q. 1. p. 2. & Albertinus tom. 1. princip. 3. q. 4. & de habitu Theologiæ assentiendi conclusionibus deductis Aureolus q. 1. prolog. a. 2.

Eademque ratio vniuersalis est, & procedit de omni habitu discursiuo; & confirmari potest tum ex eo, quod ab Aristotè, & Philosophis syllogismus, seu forma syllogistica non vocatur medium, aut ratio sciendi; sed tantum modus aut instrumentum sciendi; quasi videlicet extrinsecè se habens ad scientiam. Quamuis non ægem, scientias humanas proprie dictas necessario hoc instrumento vti; imò etiam per hoc, velut à posteriori rectè distingui scientiam ab intellectu, ut dicemus. Tum quia alias fatendū esset, cognitionem Logicæ esse rationem formalem assentiendi, saltem inadæquatam, omnium scientiarum: atque ipsius adeo etiam scientiæ infusæ, quatenus discursiua est, iuxta dicta q. 2. dub. 3. quod nemo dixerit. Plura huc accommodari possunt etiam ex ijs, quæ dicentur pro assertione 2.

Assertio II. Theologiæ nostræ simpliciter dicta ratio formalis obiectiua, non est principium.

seu præmissa evidens, si quæ forte, ut fieri potest, in discursu propriè Theologico ponitur. Ita Bannes loc. cit. & significat Aureolus cit. q. 1. art. 2. quatenus docet, assensum conclusionis Theologicæ, in discursu, constante ex vna præmissa reuelata, & altera evidente, sequi conditionem & naturam principij reuelati tantum, non evidentis. Idem colligitur ex S. Thoma, & alijs, dum vniuersim pronuntiant, diuinam relationem, aut reuelabilitatem esse rationem formalem obiectiuam Theologiæ. Idem in vtraque assertionem multò magis sentiunt ij, qui docent, vnam & eandem rationem formalem esse fidei & Theologiæ, ut de Cano & Zumel diximus. Probatur his rationibus. Primo; quia alias fatendum esset, habitum Theologicum simpliciter dictum, etiam eiusdem conclusionis; deductæ ex duabus præmissis reuelatis, esse speciem diuersam ab eo, qui eandem conclusionem deducit ex vna præmissa reuelata, & altera evidente: hoc autem est contra certam & communem Doctorem; ut inferius dicetur, q. 5. Ergo, &c. Maior probatur. Quia habitus illi procederent ex diuersis planè rationibus formalibus obiectiuis; prior quidem ex merè supernaturali; quandoquidem utraque præmissa est reuelata, & ut supponimus, creditur per fidem diuinam; ipsa autem ratio consequentiæ ad rationem formalem obiectiuam non pertinet, ut antea dictum: Posterior verò procederet ex ratione obiectiuam partim naturali, partim supernaturali: quæ duæ rationes plus quam genere differunt.

Secundò. Theologia non ob aliam rationem assentitur suæ conclusioni, nisi quia & quatenus est virtualiter reuelata; quod ex omnibus authoribus tertix sententiæ apertè colligitur; adeo ut hæc iure dici possit communis Doctorem sententiæ: sed quod obiectum eius sit virtualiter reuelatum, non facit altera præmissa naturalis evidens; in hac enim minimè est reuelata; sed solum præmissa fidei inevidens & reuelata: cuius reuelatio virtualiter se extendit ad conclusionem: Ergo præmissa evidens non est propriè ratio partialis obiectiuam conclusionis Theologicæ; sed solummodo conditio explicans alteram propositionem reuelatam; ita ut intelligamus, in ea virtualiter contineri conclusionem.

Tertiò. Impossibile est, ut vnus & idè assensus seu habitus simplex specificetur per duas differentias toto genere & ordine diuersas, ut patet: Ergo etiam impossibile est, eiusdem assensus Theologici duas esse ratios obiectiuas formales, quauis partiales, toto genere & ordine diuersas; quarum videlicet vna sit naturalis, altera supernaturalis. Probatur consequentiâ. Quia differentia essentialis habituum sumitur à ratione formali obiectiuam, ut supra ex S. Thoma dictum, & habet communis Doctorem sententiæ: eam ergo rationem formalem obiectiuam necessariò etiam imitatur differentia intrinsicè specificantes habitum: Ergo vbi sunt duæ rationes obiectiuæ, genere & ordine diuersæ, fatendum est etiam, differentias constitutiuas habitus esse genere diuersas. Et confirmatur. Quia non est maior ratio, cui vna po-

tius ratio formalis obiectiuam specificet, quam altera; aut si est, illa potius sola dicenda erit ratio formalis obiectiuam, siue propter quam, non hæc. Si dicas, coalescere in vnam, respondeo hoc ipsum impossibile esse, ut tam diuersæ rationes coalescant in vnam. Deinde illa vna ratio, seu potius differentia specifica inde desumpta, vel erit naturalis intrinsicè, vel supernaturalis: neutrum potest dici: quia non est maior ratio vnus, quam alterius.

Quartò. Si diuina reuelatio alterius præmissæ reuelata, verè est causa & ratio obiectiuam mouens ad assensum conclusionis (quod quidè negari minimè potest) necessariù est, ut intellectus ei inicitur, quantum & ipsa potest, & illa meretur; sed hoc nõ fit, nisi illa solà utatur, velut ratione formali obiectiuam; altera verò præmissa euidènter utatur solù ut conditione applicante rationem formalem; potest enim hoc facere, ut mox probabitur: Ergo &c.

Quintò. Ea est intellectus nostri natura, circa conclusionis assensum, ut quando per alteram ex præmissis, seu assensibus præuis, certò & infallibiliter nobis innotescit, conclusionem niti certiori quodam & firmiori fundamento, quam sit ille idem assensus prior, per quem hoc innotescit, ut tunc veluti neglecto assensu priori debilitati, aut certè non alia eius ratione habita, quam velut conditionis applicantis certius illud principium, vltimatè ac formaliter solum intendat in alterum illud fundamentum firmius, quo cognoscit conclusionem niti; & ab eo potissimum permotus perfectiore assensu sibi persuadeat conclusionem, quam sit ille assensus prior & imperfectior: sed illud accidit in proposito; assensus enim alterius præmissæ naturalis & evidentis, simpliciter est imperfectior; quam sit assensus alter fidei diuina: Ergo ex ipsa etiam natura intellectus pariter fiet, ut intellectus, non alia ratione præmissæ evidentis habita, quam velut conditionis applicantis, alterum principium reuelatum certius, ob hoc solum velut rationem formalem obiectiuam assentiat conclusioni. Maiorem quasi ad verbum, quamuis ad aliud propositum, de quo hic non disputamus, tradit Gregorius de Valentia tom. 3. loc. cit. eiusq; ratio esse videtur, quod intellectus naturaliter ex præmissis omnem eam certitudinem & perfectionem possibilem confectatur, quam is habere potest ex assensu præmissarum. Exemplum aut potius simile habemus in illis Samaritanis, qui cum de Christo Messia certioribus argumentis & signis essent instructi, quam fuerat contestatio illius mulieris samaritana, dicebant: *Quia iam non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audiuimus & scimus, quia hic est verè Saluator mundi.* Ioan. 4. v. 42. Eodem modo, quando discipulus in Mathematicis audit suum Magistrum explicantem demonstrationes Euclidis, easque intelligit, tum is certè non assentitur conclusionibus Geometricis propter suum Magistrum, velut rationem assentiendi, sed ob aliam rationem longè certiorè, nimirum ob principia & explicatione verò illa solum utitur veluti conditione seu causa applicante notitiam principiorum.

Sextò. Conclusio Theologica explicata per discursum Theologicum ex vna præmissa reuelata & altera euidenti, potest per fidem credi: Ergo nititur solum principio reuelato & supernaturali; non naturali. Antecedens patebit ex q. 5. dub. 3. & 4. Et ratio breuiter est. Quia est reuelata; eo ipso, quod est necessario & euidenter adeoque infallibiliter connexa cum præmissa reuelata: esse autem ita connexam, innoscit nobis ex ipsa præmissa naturali; per quam nobis certò & infallibiliter constat, conclusionem contineri in præmissa illa reuelata.

Neque propterea sequitur, fore, vt etiam in casu, quo altera præmissa est euidens, altera verò ineuidens, possit quis euidenter assentiri conclusioni; quia ad hoc opus foret, vt euidenter constaret, per alteram præmissam ineuidentem, conclusionem contineri in præmissa euidente; sicuti, quia per alteram præmissam naturalem certò constat, conclusionem contineri in præmissa reuelata, idcirco possum non quidem euidenter, sed certo assentiri conclusioni virtualiter contentæ in principio reuelato: id verò est impossibile. Quæ etiam ratio est, vt quoad euidenciam vel ineuidenciam, conclusio semper sequatur partem debiliorem; non autem quoad rationem supernaturalitatis; nec adeo etiam vndiquaque quoad rationem certitudinis, vt recte etiam notauit Aureolus q. 1. prolog. art. 2. & Molina hic q. 1. a. 2. disp. 1. Siquidem etiam actus virtutum supernaturalium sunt supernaturales; cum tamē pendeant etiam à potentijs vitalibus; quæ non sunt causæ aut res supernaturales.

8 Assertio III. Theologiæ simpliciter dictæ ratio formalis obiectiua tota est supernaturalis. Hæc est mens Auctorum, quos pro tertia sententia citauimus, & colligitur ex dictis. Si enim naturalis esset, ideo esset, quia ratio, siue adæquata, siue inadæquata, assentiendi conclusioni Theologicæ, esset vel assensus solum opinatiu⁹ vtriusque præmissæ, vel ratio & euidencia consequentiæ, vel saltem in discursu illo, quo vna tantum præmissa est reuelata, ipsamet altera præmissa euidens: nihil horum potest dici. Non primum; sic enim Theologiæ simpliciter dictæ habitus esset opinatiuus, quod satis refutauimus supra q. 2. dub. 2. Nec secundum, ob ea, quæ in prima assertione docuimus. Nec tertium, propter ea, quæ in probatione secundæ assertionis attulimus. Cum ergo negari non possit, Theologiam simpliciter dictam habere suam quandam certam rationem formalem obiectiuam; ea verò nec adæquate nec inadæquate sit naturalis, vt probatum est; necesse est, vt sit mere supernaturalis.

Assertio IV. Ratio formalis obiectiua Theologiæ adæquate spectata, diuersa est à ratione formali obiectiua fidei. Est communis Doctorum primæ, secundæ, & tertiæ sententiæ, atque etiam mens & doctrina S. Thomæ locis superius citatis, vbi docet, habitus & scientias distingui penes rationem formalem obiectiuam: Cum igitur ex eodem S. Thomæ constet, habitum Theologiæ esse diuersum ab habitu fidei; vt probauimus supra q. 2. dub. 2. necesse est etiam, rationem for-

malem obiectiuam vtriusque diuersam esse. Et confirmatur. Quia cum alioqui habitus fidei & Theologiæ habeant idem subiectum, siue obiectum Quod, & nihilominus tamen essentialiter inter se differant, tanto magis necesse est differre ratione formali obiectiua; quod etiam in sequentibus fiet clarius. Dicitur fortè aliquis, differre ratione conditionis applicantis obiectum. Responderetur, hanc esse differentiam planè extrinsecam, quæ ad essentiam diuersitatem minimè sufficit, vt per se patet. Qui verò aliter locuti sunt, in quibus Canus, Bannes, Zumel, locis citatis, incompletè tantum vtriusque rationem obiectiuam considerant, vt dicemus.

9 Assertio V. Theologiæ nostræ simpliciter dictæ ratio formalis obiectiua, siue propter quam, immediata & completa, est, principium reuelatum, vt creditum fide diuina, siue ipse assensus fidei circa principium reuelatum. Est communis sententia, & mens auctorum tertiæ sententiæ; ac præcipuè S. Thomæ ibidem relati, tametsi nonnunquam alij alijs verbis vtantur, sensu non diuerso, vt dicemus. Probat. Quia illa est completa & immediata ratio formalis obiectiua Theologiæ nostræ, propter quam formaliter & immediate assentimur conclusioni Theologiæ; cuiq; vnice innititur assensus Theologicus: sed propter principium reuelatum, vt creditum fide diuina, seu quod idem est, propter ipsum assensum fidei circa principium reuelatum, assentimur conclusioni Theologicæ; eique etiam vnice innititur assensus Theologicus: siquidem quæ præterea ad hanc rationem formalem obiectiuam adungi possent, vt ratio seu euidencia consequentiæ, naturalis euidencia alterius præmissæ, &c. iam antea à ratione formali obiectiua Theologiæ exclusimus. Ergo principium reuelatum vt creditum fide diuina, ipseque adeò assensus fidei diuina circa principium reuelatum, est adæquata & immediata ratio formalis obiectiua Theologiæ. Et confirmatur: quia in omni scientia, ipse assensus principiorum est ratio formalis obiectiua ipsius habitus scientifici; non tamē quilibet assensus; sed is solum, qui est scientiæ proportionat⁹, si quis enim haberet assensum principiorum solum à Fide humana profectū, is vtique non haberet veram scientiam, vt superius q. 2. dub. 3. cum S. Thomæ hic in prima notatione citato ex communi sententia docuimus: quia assensus ille principiorum, seu principia ipsa tali assensu credita, non sunt ratio formalis obiectiua scientiæ; sed solummodo pro vt cognoscuntur assensu certo & euidenti. Nostra autem Theologia non nititur assensu opinatiuo, aut naturali, principiorum reuelatorum, vt dictum ead. q. 2. dub. 2.

10 Dixi verò in assertione primo, Theologiæ nostræ esse assensum fidei: quia per hoc distinguitur Theologia nostra obscura à Theologia euidente Christi & beatorum; quod cum vtraque quidem rationem formalem obiectiuam supernaturalem habeat, adeoque generatim nitatur principijs reuelatis, supernaturali aliquo assensu cognitis; illa tamen nitatur obscura cognitione fidei; hæc clara & euidente, vt cit. q. 2. dub. 3. fusius explicatū.

Dixi secundò, esse principium reuelatum, nimirum indefinitè vnum vel plura: pro ratione varia discursus Theologici, habentis aut vtramque, aut vnam solummodo præmissam reuelatam, cum altera euidente, vt superius dictum.

Assertio VI. Eiusdem Theologiæ simpliciter dicta ratio assentiendi mediata & vltimata, est ipsa reuelatio diuinæ fidei: ac proindè à præcedenti assertionem re ipsa non dissentiant, qui Theologiæ, rationem formalem obiectiuam, vel sub qua, dixerunt esse reuelationem, vel reuelabilitatem, vel reuelabile, vel mediata reuelatum, vel ipsa principia reuelata: quanquã plene & exacte completam rationem eius non omnes expresserunt. Probatum & declaratur assertio. Dupliciter enim assignari potest formale obiectum Quo, seu ratio formalis obiectiua alicuius habitus discursiui; nimirum mediata vel immediata, & vtraque rursus, vt ex Capreolo retulimus, vel secundum se, absolute, & in abstracto, vel vt formaliter afficiens & denominans, aut certè inuoluens obiectum materiale; hoc posteriori modo dicitur mediata reuelatum, seu reuelabile; hoc est, ex reuelato principio cognoscibile; & secundum Capreolum etiam ipsa reuelabilitas, quia & ista, vt sic (veluti simitas) aliquo modo inuoluit subiectum. Priori modo dicitur lumen diuinæ reuelationis, seu ipsa reuelatio; non quod immediatè ipsam conclusionem Theologiam afficiat (hæc enim vt sic non est immediatè reuelata) sed quæ afficiat præmissas: quæque proindè sit mediata tantum ratio assensus Theologici; simul tamen vltimata: quandoquidem vniuersim ratio immediata assensus principiorum, est ratio mediata, sed vltimata assensus conclusionis.

Rursum quia assensus Theologicus est discursiuus, eiusdemque ratio formalis obiectiua immediata necessario est complexa, idè pro ratione eius obiectiua immediata recte assignatur totum principium complexum, ex quo conclusio Theologica inferitur: qua ratione ipsa principia, seu præmissa reuelata dicuntur ratio per quam, siue propter quam. Cæterum quia etiam ipsis reuelatis principijs diuersis plane assensibus assentiri possumus, qui idcirco fundent & causent habitus & assensus conclusionum non minus diuersos, vt exemplo naturalium scientiarum patet, & ex parte notauit etiam S. Thomas loc. cit. q. 2. de virtutibus art. 13. ad 6. hinc fit, vt nisi ad principium habitus discursiui adiungatur ratio certa & determinata assensus eiusdem principij, non possit completa ratio formalis obiectiua habitus, aut assensus discursiui constitui; vt etiam circa præcedentem assertionem dictum: sed quam nos in illa eadem assertionem expressimus, authores secus locuti subintellegerunt.

Assertio VII. Ratio formalis obiectiua Theologiæ opinatiuæ propriè non est reuelatio diuinæ; nec principia reuelata, qua talia, sed assensus opinatiuus, seu fides humana principiorum reuelatorum; seu quod idem est, ratio probabilis, vel autoritas humana mouens ad assensum præmissarum. Hanc assertionem pono contra quandam opinionem, assentem, per rationem formalem

obiectiuam mouentem nos ad assentiendum, non distingui fidem humanam à diuinam; aut Theologiam opinatiuam hæreticorum à Theologia simpliciter dicta & supernaturali; vtriusque enim esse, aut esse posse eandem rationem formalem obiectiuam, videlicet reuelationem diuinam, seu immediatè afficientem obiectum creditum; seu mediata applicandam per discursum, seu per aliã quandam rationem obiecti sub qua, desumptam ab ipso habitu, vt referemus fufus dub. sequent. Quam sententiam indicare nonnullis visus est Molina hic q. 1. a. 3. disp. 2.

Verum pro certo habendum est, reuelationem diuinam propriè non esse rationem formalem obiectiuam nec humanæ fidei, nec Theologiæ opinatiuæ: quod omnes reliquicitati pro secunda & tertia opinione sentiunt; non distinguentes rationem formalem obiectiuam à ratione sub qua, vt dicemus dub. seq. Qui hoc ipso etiam docent, per illam ipsam rationem obiectiuam specificari & distingui Theologiam simpliciter dictam à cæteris habitibus, saltem excepta fide. Idem supponit S. Thomas locis supra citatis, quando habitum Theologiæ per ipsam reuelationem diuinam seu reuelabilitatem, specificari & distingui docet ab omnibus alijs habitibus: & colligitur ex eodem S. Thoma in simili 2. 2. q. 5. a. 3. vbi docet, nullum hæreticum posse alicui veritati fidei assentiri propter primam veritatem.

Vnde etiam probatur assertio. Primò. Quia vt ex communi Doctorum sententia initio huius dubij retulimus, per rationem formalem obiectiuam specificantur & distinguuntur habitus; adeo vt impossibile sit, habitus essentialiter diuersos, & idem alioquin subiectum & obiectum materiale habentes, habere eandem rationem formalem obiectiuam: Ergo impossibile est, diuinam reuelationem, seu reuelabilitatem, quæ est ratio formalis diuinæ fidei, aut Theologiæ simpliciter dictæ esse etiam rationem obiectiuam fidei, aut Theologiæ opinatiuæ: cum habitus isti sint diuersissimi, vt patet ex dictis q. 5. dub. 2.

Secundò. Impossibile est, vt ratio formalis obiectiua habitus naturalis sit supernaturalis, vt ex communi rectè etiã tradit & explicat Franciscus Albertinus tom. 1. princ. 3. Coroll. 4. & constat ex dictis; quandoquidem ex ratione formali obiectiua specificantur & distinguuntur habitus: at verò Theologia opinatiua est habitus merè naturalis: Ergo. &c.

Tertiò. Ratio ista obiectiua diuinæ reuelationis habet se vt lumen respectu visus; quatenus videlicet immediatè afficiens obiectum quod visus, est immediata ratio & causa cognoscendi coloris: sed impossibile est, vt hoc modo spectatum, sit ratio formalis obiectiua alterius potentie, quam visus: quod in sensibus est per se manifestum; de intellectu probatur. Quia licet aliquando ex lumine, velut medio termino, inferri possit aliqua conclusio, tamen ratio immediata & completa assentiendi, non est lumen: sed præmissa aliqua, seu assensus præmissa, cuius terminus quidam sit lumen. Idè seruata proportione etiam de cæterorum sensuum ratione formali obiectiua dicendum est.

Quartò.

Quartò. Ratione formali obiectiua formaliter nititur certitudo cuiuslibet assensu; quæ proinde etiam debet illi respondere: atqui certitudo Theologiæ opinatiuæ nequaquam responderet reuelationi diuinæ; seu assensui nitenti hac reuelatione; cum sit longè minor & ordinis inferioris, vt patebit q. sequenti.

Quintò. Ratio formalis obiectiua adæquate sumpta, debet esse id, in quod vltimo resoluitur assensus: sed Theologiæ opinatiuæ ratio vltimata in quam resoluitur eius assensus, non est reuelatio diuina; sed tantum rationes probabiles, seu fides humana, quibus nititur eius assensus. Reuera enim talis non assentitur, quia Deus præmissam reuelauit; sed quia ex rationibus probabilibus, seu humana autoritate putat, Deum hoc reuelasse.

Sextò. Theologia opinatiua eodem modo, seruata proportione, se habet ad diuinam reuelationem, sicut fides humana, seu opinatiuus assensus, qualem habent hæretici de quibusdam veritatibus fidei: atqui impossibile est, vt ratio formalis obiectiua fidei humanæ sit reuelatio diuina: Ergo. &c. Minor probatur. Quia alioqui per naturæ vires credere possemus aliquid formaliter, quia id Deus reuelauit, sicut hæretici naturaliter eliciunt assensum fidei humanæ, circa eas fidei veritates, quas credunt: neque enim aliunde est in eo actu aliqua difficultas, si non ex ipsa supernaturalitate actus & obiecti formalis: Sed hoc profusum est falsum, posse nos naturæ viribus credere formaliter, quia id Deus reuelauit. Ergo. Quæ de causa etiam Albertinus cit. princip. 3. coroll. 4. num. 6. ad hoc ipsum propositum ex instituto, probat, ex communi sententia, credere propter auctoritatem diuinam reuelantem, tanquam propter rationem formalem assentiendi, excedere potentiam naturalem; atque adeo *non dicere solam difficultatem, sed impossibilitatem simpliciter*, vt talis actus viribus naturæ eliciatur.

Nec obstat, quod aliquando tam fidelis, quam hæretic⁹ eliciens eiusmodi assensum opinatiuum & naturalem, existimat, se assentiri propter diuinam reuelationem, tanquam rationem formalem obiectiuam: quia id commune est omnibus actibus mentis internis, vt eorum ratio formalis, & quidditas intrinseca, ipsum quoque operantem frequenter lateat: quod in actu charitatis supernaturalis est manifestum, & de fide certum; idemque de actu fidei diuinæ complures & rectè docet vt suo loco dicitur. Vbi tamen notandum, in hoc ipso complexo, scilicet aliquid vt reuelatum, credi, voculam *vt* dicere posse non solum rationem formalem obiectiuam, sed etiam conditionem vel partem materialis obiecti, vt sensus sit, talem assensum esse, vel de ijs rebus, quæ sunt reuelatæ; nec nisi supposita ea conditione reuelationis: vel de hoc ipso etiam, quod sunt reuelatæ. Et hoc modo non est negandum, posse assensu etiam opinatiuo, seu humanæ fidei credi aliquid vt reuelatum à Deo, vt indicat etiam S. Thomas 2. 2. q. 5. a. 3. ad 1. Qua ratione etiam explicari poterit Molina loc. cit. vt & in Concordia q. 14. art. 13. 9. 7. 10. 11. vbi in eundem sensum asserit,

posse hominem per vires naturæ, cum solo concursu generali, assentiri mysterijs supernaturalibus sibi propositis & explicatis: qualia sunt, Deum esse trinum in personis, Christum esse Deum, & similibus, tanquam à Deo reuelatis, actu merè naturali. &c. Quo sensu etiam Viguierius cap. 10. §. 3. v. 6. sub fine dixit: Hæretici, quamuis dicant, se ijs, quæ sunt fidei, credere, quia reuelata sunt à Deo, non tamen faciunt, prout hæc coniunctio *Quia, dicit causalitatem; quia tunc crederent omnibus reuelatis, vt patet per exponentes: Sed bene prout hæc coniunctio Quia, dicit quandam circumstantiam obiecti; de quare alibi plura.*

Atque ex his, quæ hætenus docuimus, facile colligitur primò, quomodo differat ratio formalis obiectiua fidei à ratione obiectiua Theologiæ simpliciter dictæ. Etenim reuelatio diuina est ratio formalis obiectiua fidei immediata; scilicet non vt efficiens præmissam aliquam, ex qua assensus fidei deducatur, sed vt efficiens immediatè ipsum complexum obiectum fidei. Vnde etiam obiectum fidei formale dicitur reuelatura, seu cognoscibile per diuinam reuelationem immediatè: Theologiæ verò obiectum vt sic, non est in se reuelatum, sed reuelabile, seu per reuelationem cognoscibile, mediatè, vt dictum.

Vbi rursus tanquam certum supponimus, fidem non assentiri suo obiecto formaliter, per discursum; quod inquit Gregorius de Valentia tom. 3. disp. 1. q. 1. p. 2. *videntur pro certo supponere omnes Theologi.* Item Franciscus Albertinus to. 1. princip. 3. coroll. 4. punc. 2. docet, *firmissime tenendum esse, assensum fidei diuinæ non resolui in discursum; sed fieri per simplicem adhesionem*, tanquam per rationem formalem assentiendi; quam etiam ostendit esse sententiam S. Thomæ, & communè Theologorum, contra quosdam illic relatos, qui contrarium docuisse videntur, videlicet Durandum, Gabrielem, Michaelem Medinam, Marfilium, & Vasquez: qui duo etiam fidem ipsam videntur fecisse discursiuam, ita tamen vt medium in fide non sit propositio aliqua reuelata, & directè per fidem credita; sed reuelatio ipsius veritatis per fidem credendæ. De quare suo loco pluribus agendum est.

Colligitur secundò; tametsi ratio discursus non constituat intrinsecè rationem formalem obiectiuam Theologiæ, tamen per eam velut à posteriori rectè ipsam posse explicari: eo ipso enim significatur, rationem eius obiectiuam esse vel præmissam, vel in præmissa reuocare, per discursum applicandam, vt diximus.

Colligitur tertio, ex ratione formali obiectiua Theologiæ, simulque ex eius obiecto formali attributionis, quænam sit differentia ac ratio specifica & essentialis, adeoque definitio Theologici habitus, siue qui simpliciter talis est, & dicitur; siue etiam opinatiui. Theologia enim simpliciter dicta, sub generali ratione, quatenus communis est etiam Theologiæ Christi & beatorum, ex dictis ita rectè definitur; *Habitus discursiuus, circa Deum vt Deus est, nixus principijs reuelatis, qua talibus: seu quod idem est, scientia Dei, vt Deus est, procedens ex principijs reuelatis fu-*

perna-

pernaturalis assensu cognitis: seu per restrictionem superioris definitionis, vnius solū particulæ additione factā: *Habit⁹ discursiuus circa Deū vt Deus est, nixus principijs reuelatis euidenter cognitis.* Theologia verò nostra, seu viatorū, ita rectè definitur: *Habit⁹ discursiuus circa Deū, vt Deus est nix⁹ principijs obscure reuelatis, qua talib⁹: siue, scientia Dei, vt Deus est, procedens ex principijs reuelatis, diuina fide creditis.* Theologia verò opinatiua definitur hoc simili modo: *Habit⁹ discursiuus circa Deum, vt Deus est, nixus principijs obscure reuelatis, humana fide creditis.* Quibus rationibus & definitionibus definiti habitus singuli, & inter se (suo modo) & ab omnibus plane habitibus alijs, seu naturalibus, seu supernaturalibus essentialiter differunt; vt ex dictis colligitur, & consideranti patebit.

Colligitur quartò, quisnam sit assensus propriè Theologicus; quodque principiū propriè Theologicum; & quæ itè argumentatio propriè Theologica. Assensus enim propriè Theologic⁹ in genere, alius non est, nisi qui nititur ratione formali obiectiua Theologiæ propria; nimirum principio reuelato diuina fide credito. Principium propriè Theologicum non est, nisi reuelatum. Argumentatio propriè Theologica non est, nisi qua principium reuelatum ita intellectū applicatur & proponitur, vt eo tanquam reuelato verè & vnicè niti possit assensus Theologicus. Quod fieri non potest, nisi & consequentia argumentationis sit euidentis; & antecedens omni ex parte necessariū: ita vt si præmissæ reuelatæ adiungatur altera præmissa naturalis, ea tamen sit euidentis, non probabilis solum & incerta. Illa enim solā principium reuelatum sufficienter explicatur & proponitur, quantum satis est, ad certitudinē Theologici assensus, vt magis patebit ex quæst. 5. dub. 3. & 4.

D V B I V M III.

Vtrum præter rationem formalem obiectiuam Qua, siue propter quā, assignanda sit alia Theologia ratio formalis sub qua; & quanam illa sit?

S. Thom. I. p. q. I. art. 3.

Generalis difficultas de omnibus habitibus & potentijs est, an præter obiectum formale Quod, ac obiectum formale Quo, seu rationem formalem obiectiuam Qua, siue propter Quam, ex parte obiecti assignari debeat alia ratio formalis sub qua, à priori, seu in concreto, seu in abstracto sumatur, distincta; ex qua sumatur specificatio potentiarum siue habituum; quæ non sit ratio mouens ad cognitionē; sed vel solum quædā denominatio scibilis, vel cognoscibilis, seu actualis, seu potentialis, ab ipsa ratione cognoscendi potentiæ, vel habitus, seu quod eodem ipectat, ipsum lumen intrinsecū habitus cognoscitiui; vel

certe conditio dūtaxat ex parte obiecti requisita ad hoc, vt obiectum habitum, vel potentiam, terminet, siue moueat.

Et non defunt ex recentiorib⁹, qui ita sentiūt. In quib⁹ Molina hic q. I. art. 3. disp. 2. apertè distinguit inter rationem formalem obiectiuā mouentē potentiam ad cognoscendum, & rationem sub qua: *In visu enim, inquit, ratio sub qua est visibilitas; ratio obiectiua lumen. In fide infusa, ait, ratio obiectiuam esse diuinam reuelationem; rationem verò sub qua esse cognoscibilitatem non solum per diuinam reuelationem (nam est hereticus, inquit, assentitur articulo Trinitatis ex eo, quia per Christum id reuelatum est Ecclesia à Deo) sed etiam simul per habitum supernaturalem, qui cum tali reuelatione debitam proportionē habeat.* Similia addit de Theologia, vt dictum dub. præcedenti.

Jdem significat Bannes hic q. I. art. 3. vbi ait, *veram est realem rationem, sub qua cognoscitur omne scibile, esse aliquod lumen intrinsecum habitui scientifico, vel naturale, vel supernaturale, vel acquisitum.* Quod etiam videtur sentire Zumel q. I. art. 3. q. 2. cum ait, rationem formalem, sub qua, in fide & Theologia, non distingui ab ipso lumine, vel ab effectu formali luminis: vbi de lumine habitus loqui videtur, vt paulò ante ex Banne retulimus. Citantur etiam à Vasquio hic disp. 7. cap. 3. pro hac sententia Caietanus hic q. I. art. 3. & recentiores Thomistæ. Qui proinde, vt dictum, ipsum lumen habitus, vel denominationem ab habitu, vel potentia, constituunt rationem formalem sub qua eiusdem habitus seu potentiæ.

Alij verò quidam recentiores, etsi cum citatis authoribus in eo conueniant, quod ratio formalis sub qua, in potentijs & habitibus cognoscitiuis, distinguatur à ratione formali obiectiua Qua, siue propter quam, siue per quam; differunt tamen in eo, quod eam docent esse, non denominationem à potentia vel habitu, nec lumen ipsius habitus cognoscitiui; sed conditionem aliquam requisitam ex parte obiecti, sine qua obiectum nec potentiam mouere, nec eius actum terminare, posset. Quales quidem variæ assignari possunt; v. g. iuxta S. Thomam; fides ex parte obiecti exigit, vt sit non visum; opinio, vt sit non certum. Talem etiam esse dicunt, respectu scientiarum, variam abstractionem obiecti à materia & motu, iuxta Aristotelem. 2. Metaph. text. 2. Similiter etiam rationē formalem sub qua, per modū conditionis concomitantis, ex parte obiecti Theologiæ creatæ, tam secundum actum, quam secundum habitum esse aiunt, *finitatem, seu finitudinem virtutalem Dei;* quæ nihil sit aliud, quam ipsa cognoscibilitas (actiua) Dei, quaten⁹ est apta mouere modo finito mētes creatas ad cognitionem sui: hanc enim esse conditionem concomitantem ex parte subiecti siue obiecti, sine quod non potest terminare habitudinem actus Theologici. Et citatur pro hac sententia Argentinas q. I. prologi, Toletanus q. 6. art. 2. & q. 7. art. 2. & q. 8. a. 2. Capreolus quæst. 4. prologi art. 2. & Hispalensis quæst. 4. art. 3.

Addunt

Addunt ijdem recētiore, ex tribus rationibus formalibus obiecti, nimirū ratione formali Qua, ratione formali propter quam, & ratione hac formali sub qua, coalescere quidem vniuersim integram ac perfectam rationem specificam obiecti cognoscibilis, seu obiecti, vt loquuntur, in ratione siue genere scibilis, iuxta S. Thomā hic quæst. 1. art. 1. ad 2. & 1. 2. quæst. 54. art. 2. ad 1. & 5. poster. text. 15. 17. & 41. & opusc. 70. q. 5. a. q. Capreolum q. 4. prolog. a. 1. & 2. Ferrar. lib. 2. cont. gentil. cap. 4. & c. attamen scibile vt sic nō dicere denominationem solum extrinsecam a potentia, siue habitu, cuius actus terminat; cū vt sic non sit prius potentia vel habitu: neque adeo etiā concernere obiectum, in quantum est principium, & causa actus, seu motium potentia ad actum, mediantibus speciebus: ita vt forma, siue ratio scibilis sit illa, secundum quam obiectum est aptum agere in potentiam, per mouendo ac determinando illam ad hanc, vel illam cognitionis speciem, prout declarant Scotus q. 3. prolog. & 1. dist. 3. q. 3. & 3. dist. 27. quæst. vn. art. 7. & Bassolis quæst. 3. prolog. a. 1. Aquila q. 2. a. 1. & indicat S. Thomas in 3. d. 24. q. 1. a. 1. Atque hæc scibilitas etiam, ob eandē causam vocatur ab his authoribus *scibilitas actiua*. Eademq; ratione discurrūt isti de visibili, audibili, tangibili & c. respectu potentiarum sensitiuarum.

His authoribus distinguuntur rationē sub qua à ratione propter quā, adiungi etiam aliquo modo potest Franciscus Albertinus, tom. 1. princip. 3. coroll. 4. num. 17. & 20. vbi de fide differens, distinguit rationē sub Qua, à ratione Qua. Nam rationem formale Qua fidei, dicit esse primā veritatem; rationem formalem sub qua, reuelationem Dei obscuram. Sed reuera hæc re ipsa non sunt plane diuersa, sed subordinata; nec aliud sunt, quā ipsa ratio formalis obiectiua, siue, ppter quā, illa quidē mediata, & vltimata; hæc proxima & immediata; vt inferius dicitur.

Alij verò Doctores rationē formale obiectiua, & sub qua, nullo modo distinguunt. Ita Gregori⁹ de Valentia hic q. 1. punct. 3. §. 3. vbi reuelationē diuinam vocat rationem formalem sub qua Theologia; & addit, rationem formalem sub qua esse illam, per quam velut per medium quoddam Theologia infert conclusiones suas Theologicas. Eodem modo Canus lib. 12. loc. Theolog. cap. 3. *Formalis ratio Theologia, non est vna & simplex, sed duplex & bipartita. Est namque ratio formalis rei obiecta, qua res est, quomodo Deus Theologia ratio dicitur. Est item ratio rei, vt mensuram ad assentiendum mouet, quemadmodum veritas prima reuelans Theologia habetur ratio. Sic rationes videndi intelligimus, vt colorem, & lucem: colorem quidem prior modo; lucem autem posteriore. Atque illam quidem vocant rationem Qua, hanc rationem sub qua. Vbi expresse vides, rationem formalem sub qua dici illam, quæ vocari etiam solet Ratio formalis Qua, siue propter quam. Eodem modo loquuntur alij plures, qui eandem ipsam, quam dub. præced. diximus rationem formalem obiectiuam, siue propter quam, vocant rationem sub qua.*

Eandem sententiam ex instituto propugnat Gabriel Vasquez hic disp. 7. cap. 3. & videtur S. Thomæ, & communis veterū Scholasticorū, vt dicitur.

Assertio I. Ratio formalis sub qua Theologia non est cognoscibilitas per habitum supernaturalem. Est contra Molinam, Bannem, Zumel locis citatis, & colligitur ex S. Thomā hic q. 1. a. 3. Scoto q. 2. & 3. prolog. Durando q. 4. & 5. & alijs Scholasticis antiquioribus, qui talis rationis formalis sub qua nusquā meminerunt: apertē autem & vniuersim traditur à Vasquez loc. cit. vt & à Gilli lib. 1. tract. 3. cap. 11. num. 10. Probatum primo. Quia ratio formalis sub qua, debet esse prior suo habitu; quando quidem debet specificare habitum, & simul est aut causa, aut saltem conditio ad hoc requisita, vt obiectum mouere possit habitum ad cognoscendum; quemadmodum authores contrariæ sententiæ faciunt: sed cognoscibilitas per habitum supernaturalem est posterior ipso habitu; cum sit solum denominatio quædam ab ipso habitu: idē enim obiectum dicitur cognoscibile per habitum supernaturalem; quia datur habitus talis, qui possit illud cognoscere: est autem denominatio posterior forma denominante: Ergo. & c.

Secundo. Ratio formalis sub qua alicuius habitus vel potentia, debet ipsi habitui vel potentia, earumque actibus esse adæquata: atqui cognoscibilitas per habitum supernaturalem Theologia, non est adæquata omnibus actibus Theologicis: primi enim actus Theologia, vt & aliorum habituum etiam supernaturalium, non procedunt ab habitu, vt hic suppono: Ergo. & c.

Tertiō. Eadem est ratio formalis sub qua habitus alicuius, & actus ab eo procedentis: Sed cognoscibilitas per habitum supernaturalem non est ratio formalis sub qua actuum, siue assensuum Theologicorū: Ergo. & c. Minor probatur. Quia ratio formalis sub qua actuum est necessario requisita ad ipsam etiam essentiam & substantiam, actuum, à tali habitu procedentium: sed etiam si per impossibile nullus omnino esset habitus supernaturalis Theologia; sed Deus seipso vim & efficientiā habitus suppleret, ad huc tamē maneret eadem ratio & essentia actuum & assensuum Theologia: Ergo cognoscibilitas per talem habitum, non est ratio formalis sub qua Theologicorum actuum, siue assensuum.

Quartō. Ratio formalis sub qua alicuius habitus, debet ex parte ipsius obiecti concurrere ad actus eiusdem habitus, non ex parte ipsius habitus, vt fatentur etiam authores contrariæ sententiæ; & ex ipso nomine patet; eo ipso, quod dicitur ratio formalis obiecti: sed cognoscibilitas per ipsum habitum, non habet se ex parte obiecti, sed ipsius habitus, à quo est denominatio, vt dictum. Quocirca etiam authores contrariū sentientes planē confudisse vidētur rationē assentiendi effectiuā, ex parte habitus siue potentia; cū ratione assentiendi obiectiua seu motiua, vt in disp. de fide thes. 12. 13. 14. 15. & seq. pluribus ostensum.

Assertio II. Ratio formalis sub qua Theologia non rectē etiam dicitur *finis virtualis Dei*.

Est contra quosdam recentiores, ut superius dictum, & alios, quos citant: quanquam apud Capreolum id equidem inuenire non potui. Nobiscum autem sentiunt Gregorius de Valentia, Vasquez loc. cit. & colligitur ex S. Thoma, Scoto, Durando, qui talis rationis sub qua nusquam meminerunt; ut etiam precedenti assertioni in simili dictum. Probat. Primò enim finitas virtualis nouè, & ut apparet, parum aptè dicitur cognoscibilitas Dei, ut est apta mouere finitè potentiam cognoscentem. Alioquin enim pariter omnipotentia Dei, ut est apta producere effectum finitum, dicenda erit finita virtualiter: qua proinde ratione multa producerentur non formaliter per omnipotentiam, seu infinitam Dei potentiam; sed per finitatem virtuales, saltem loquendo de ijs effectibus, qui per se non requirunt infinitam potentiam ex parte agentis Dei: id verò non videtur rectè & commodè dici: quia Deus per infinitatem suam multo melius & mouere potest intellectum creatum ad cognitionem sui; & producere effectum finitum, quam per illam finitatem virtuales.

Secundò. Ratio formalis sub qua debet esse ratio quedam contrahens obiectum, prout terminat & mouet certum habitum, adeoque etiam aliquo modo propria habitus; ita ut ea ratione distinguatur habitus ipse ab alijs habitibus: non autè generalissima ratio, siue conditio, ad quamcunque demum humanam, cuiuscunque demum generis, cognitionem eiusdem obiecti materialis requisita: atqui finitas virtualis prout ab istis authoribus explicatur, nullo modo est propria Theologiæ; sed communis conditio Theologiæ nostræ cum Metaphysicâ, fidei, prophetiæ, scientiæ infusæ, lumine gloriæ, seu visione beatificæ; imò cum omni omnino cognitione creata Dei, et ipso quod finita est & minimè adæquata & comprehensua ipsius Dei. Ergo &c.

Tertiò. Finitas illa virtualis Dei non aliter, se habet ad Theologiam, quam ad Metaphysicam, fidem, scientiam infusam; & visionem beatificam; Deus enim per nullam harum scientiarum mouet intellectum ad infinitam sui cognitionem, nec facit, ut infinitè cognoscatur: sed nemo hactenus dixerit, finitatem virtualem Dei esse rationem formalem sub qua Metaphysicâ, fidei, scientiæ infusæ, aut visionis beatificæ. Ergo &c.

Quartò. Ratio obiecti formalis sub qua, habet se primario ex parte ipsius obiecti cogniti, non subiecti cognoscentis: sed finitas illa virtualis Dei, seu aptitudo mouendi finitè, non habet se originaliter & primario ex parte Dei, ut est obiectum siue subiectum cognitum; sed ex parte subiecti seu potentie cognoscentis: seu, quod idem est, non oritur primario ex ipso Deo, in quantum est cognoscibilis; sed ex intellectu creati Deum cognoscentis imperfectione. Ipse enim Deus, sicut in se est Ens infinitum, ita ex se est infinitè cognoscibilis. Quod autem sit finitè solum cognoscibilis, oritur ex conditione creaturæ Deum cognoscentis: idè enim est finitè solum ab ea cognoscibilis, quia implicat contradictionem, ut creaturæ infinite Deum cognoscat. Ergo &c.

Quintò. Nulla denominatio extrinseca à potentia, vel habitu, est ratio formalis sub qua, ipseus potentia, vel habitus; quia ratio formalis sub qua, debet esse prior potentia vel habitu, ut fatentur isti authores, & superius dictum: sed cognoscibilitas hæc virtualis Dei, in quantum saltem dicit negationem mouendi potentiam seu habitum ad cognitionem sui infinitam, est solum denominatio ab ipsa potentia, vel habitu cognoscente creato, ut antea satis probauimus. Ergo &c.

Deniq; cognoscibilitas illa finita Dei, includitur in ratione formali obiectiua propter quam, ipseus Theologiæ: cum reuelatio fidei, seu potius ipse assensus fidei, quo immediatè nititur assensus Theologicus, non possit causare infinitam cognitionem: Ergo finitas illa virtualis non est assignanda per distinctam rationem formalem sub qua ipseus Theologiæ.

Assertio III. Nulla denominatio extrinseca ab ipsa potentia vel habitu, seu modo eius cognoscendi, est ratio formalis sub qua, siue ipsius Theologiæ, siue vllius potentie, vel habitus cognoscitiui. Hanc assertionem pluribus probat Vasquez loc. cit. & agnoscit Gillius loc. cit. Probat. Quia omnis ratio formalis ex parte obiecti, eo ipso, quod per modum obiecti, seu rationis obiectiue specificat, aut saltem quouis modo determinat actum & habitum, seu ipsam potentiam, debet esse prior ipsa potentia: denominatio autem extrinseca à potentia vel habitu, seu modo eius cognoscendi, est posterior ipsa potentia; seu modo eius cognoscendi; ut etiam superius dictum: Ergo &c.

Et confirmatur idè arguentum, vna cum ipsa assertionem prima ac tertia, ex Aristotele lib. 5. Metaph. cap. 15. vbi propterea docet, scibile ex eo genere relatiuorum esse, quæ dicuntur ad aliud, ex eo, quod alia sunt ad ipsum. Qui etiã ibidè expresse docet, scientiam non referri ad scibile ut scibile est; nec visum ad visibile ut visibile est: sed scientiam terminari ad rem ipsam, quæ scitur, ut visum ad colorem, aut quid aliud, hoc est lumen; & sic per eam definiri: alioquin futurum inane circulum, & inutilem repetitionem: definitum enim ingrederetur definitionem; ut pluribus Vasquez loc. cit.

Neque verò dici potest, denominationem quidem actualem scibilis seu potius ipsam rationem sciti; esse posteriorem scientiæ, vel habitu, seu cognitione; potentialem autem denominationem scibilis, de qua hic sermo est, esse priorem scientiæ. Nam sicut se habet actualis denominatio scibilis, seu potius sciti, ad actualem potentiam; ita se habet etiam potentialis illa denominatio scibilis (qua nempe aliquid sciri posse dicitur) ad ipsam potentiam, seu vim cognoscitiuam habitus in actu primo spectatam; ex eo enim hoc sensu scibile aliquid dicitur, quia scientia illius esse potest: Ergo sicut actualis illa denominatio scibilis, siue sciti, est posterior ipsa actuali scientiæ; ita etiam se habet denominatio illa potentialis scibilis, ad ipsam vim cognoscitiuam potentie, vel habitus, in actu primo spectatam: ac proinde sicut ob eam causam ratio actualis scibilis non potest esse ratio sub qua actualis cognitionis, ita nec ratio potentialis scibilis poterit esse ratio sub qua

ipsi⁹ potentia, siue habit⁹ in actu primo spectati.

Ex quibus etiam colligitur, cognoscibile hoc vel illo modo visibile, audibile, tangibile, hoc quidem sensu, prout dicunt denominationes solum extrinsecas à potentijs, vel habitib⁹, videlicet posse cognosci, videri, audiri, tangi &c. non posse esse rationes sub quib⁹ potentiari⁹ vel habitu⁹, vt rectè etiã Gillius loc. cit. vt pluribus Suarez Metaphys. disp. 44. num. 64. & 68.

Assertio IV. Nulla etiam conditio ex parte obiecti requisita ad cognitionem causandã, est ratio formalis sub qua, siue Theologiã siue illi⁹ alteri⁹ habitus vel potentia. Est Gregorij de Valentia & Vasquij, quod vt dictum. Probat. Primo, quia nulla conditio ad actionem requisita, rectè dicitur ratio formalis agentis, aut eiusdem actionis; alioqui approximatio ad passum dicitur ratio formalis agentis naturalis; hæc vt dicitur solum est conditio ad actum requisita. Ergo non potest esse ratio formalis sub qua actus aut habitus Theologiã.

Secundò. Non est maior ratio, cur vna potius conditio ex parte obiecti requisita, ad hoc vt potentiam moueat, sit ratio formalis sub qua potentia vel habitus, quam altera; adeoque aut omnis eiusmodi conditio erit ratio formalis sub qua, aut nulla: sed omnis esse non potest: quia sic rationes sub quibus cuiusque potentia vel habitus frustra multiplicarentur; cum plures aliquando conditiones requisitæ esse possint; v. g. in visu, approximatio obiecti visibilis, certa magnitudo eiusdem, remotio obtinendi &c. Ergo nulla conditio ex parte obiecti requisita, est ratio formalis sub qua, ipsius potentia vel habitus.

Tertiò. Inauditum videtur apud S. Thomam & veteres scholasticos, conditionem ex parte obiecti requisita, esse rationem sub qua habitus alicui⁹ vel potentia: imò hæc ab illa expresse distinguit Durand⁹ in 3. d. 24. q. 1. dum ait obscuritatem reuelationis esse conditionem ex parte obiecti fidei: non rationem formalem obiecti, quod etsi forsasse verum non sit, vt ea multis impugnetur, distinctionem tamè illã conditionis requisitæ à ratione formali in genere admittunt etiam illi, qui dictum illud Durandi alioquin impugnant.

Sed obijcitur primò. Ipsa obscuritas est ratio sub qua fidei, & tamen est conditio. Respondetur, obscuritatem tripliciter accipi posse; primò ex parte obiecti materialis crediti, vt sit idem, quod non visum; & hæc iuxta doctrinam quidem S. Thomæ est conditio requisita; sed nullo modo ratio formalis obiecti. Secundo ex parte obiecti formalis Quo, fidei nempe ipsi⁹ diuinæ reuelationis; & sic, put signat quendam certum ac positiuum modum diuinæ reuelationis, pertinet ad rationem formalem obiecti Quo, siue rationis formalis obiectiã ppter quã; siue vocetur ratio Qua, siue sub qua: reuera enim causa & ratio adæquata, p quã & ppter quã credim⁹, est reuelatio obscura primæ veritatis. Neq; verò Albertin⁹ loc. cit. aut quod scia alius author, hætenus scripsit, reuelationem esse rationem Quã, siue ppter quam fidei; obscuritatem autè rationem sub qua: sed vt trumq;

simul dixit ille esse rationem formalem fidei sub qua, vt superius regulimus; quam tamen alij rectè etiam vocant rationem formalem Qua, siue ppter quam, & ppter quam. Tertio accipi potest obscuritas ex parte ipsius actus fidei; & sic ex nulla sententia, est ratio obiectiã fidei; sed vel conditio, vel ratio quadam intrinseca ipsius assensus; prout obscuritas illa diuersimodè explicatur.

Obijcitur secundò, abstractionem variam à materia & motu esse conditionem obiecti scibilis; & tamè simul esse comuni rectè assignari p varia ratione formali sub qua scientiarum. Respondetur, abstractionem illã variè spectari posse. Primò quidè ex parte ipsi⁹ subiecti, seu obiecti formalis Quod, variam abstractionem à materia & motu inuoluentis: qua ratione Corpus naturale qua naturale, in genere, abstrahit quidem à materia sensibili in individuo, sed non in comuni; Quantitas secundum se, subiectum Mathematicæ, abstrahit quidè à materia sensibili: hoc est sensibili qualitate affecta: sed non à materia intelligibili: quod intelligitur de scientijs Mathematicis puris: Deniq; Ens vt Ens subiectum Metaphysicæ, ex ipsa etiam sua propria ratione, abstrahit à materia tam sensibili, quam intelligibili, tam in communi, quam in particulari. Et hæc ratione abstractio hæc propriè non est ratio formalis sub qua; sed conditio ex parte obiecti formalis quod, sicut de obscuritate ex parte obiecti complexi fidei, diximus. Secundò spectari potest hæc abstractio ex parte principiorum, varie itidem abstractionem à materia includentium; pari nimirum ratione seruata proportione, vt de subiecto, siue obiecto quod diximus. Et hæc ratione potest quidem dici ratio formalis sub qua, sed non diuersa re ipsa à ratione formali Qua, siue propter quam; quando quidem ipsa principia includentia talem abstractionem non sunt aliud, quam ipsa ratio formalis obiectiã, siue ratio Qua, vel propter quã, vt dictum dub. præcedenti.

Atque hæc ratione abstractionem hanc, etiam ad ipsam rationem obiecti scibilis spectare, docuit Caietanus hic q. 1. art. 3. cum ait: *Nona duplicem esse rationem formalem obiecti in scientia, alteram obiecti vt res: alteram obiecti vt obiectum; vel alteram vt Qua; alteram, vt sub qua. Ratio formalis obiecti vt res, seu Qua, est ratio obiectiã, qua primo terminat actum illius habitus, ex qua fluunt passioni illius subiecti; & qua est medium in prima demonstratione, vt Ens in Metaphysica, quantitas in Mathematica, & mobilitas in Naturali. Ratio autem formalis obiecti vt obiectum, vel sub qua, est immaterialitas talis, seu talis modus abstrahendi & definiendi: pura sine omni materia in Metaphysica; cum materia intelligibili tantum in Mathematica; & cum materia sensibili non tamen hæc, vt in naturali. Et infra eandem abstractionis rationem magis declarans ait: *Alia diuisio scibilis, est in scibile per lumen metaphysicale, id est, medium illustratum per abstractionem ab omni materia; & per lumen mathematicum, id est, medium illustratum materialitate sensibili, obumbratum tamen materia intelligibili; & per lumen Physicum obumbratum, id est, medium obumbratum materia sensibili, illustratum autè ex separationem diuisi-**

dualium conditionum; & per lumen diuinum, id est, medium diuino lumine fulgens, quod scibile theologicum constituit. Vbi expressè Caietanus variam rationem abstractionis, penes quam scientiæ inter se distinguuntur, & quam ipse etiam vocat rationem sub qua, pertinere docet ad ipsa principia, seu media sciendi, siue cognoscendi; adeo quæ ad ipsam rationem formalem Quæ, siue propter quam; à qua proinde etiam rationem sub qua minime distinxit.

Eodem modo rem hæc interpretatur est S. Thomas, hic q. 1. a. 1. ad 2. vbi ait. *Dicendum, quod diuersa ratio cognoscibilis diuersitatem scientiarum inducit. Eandem enim conclusionem demonstrant Astrologus & Naturalis; puta quod terra rotunda; sed Astrologus per medium mathematicum, id est, à materia abstractum, Naturalis autem per medium circa materiam consideratum.* Vbi vides, S. Thomam diuersam rationem cognoscibilis non explicare per conditionem nudam subiecti siue obiecti formalis quod; neque etiam per respectum ad habitum seu potentiam cognoscentem; sed ex medio, per quod elicitur assensus, quæ est ipsa ratio formalis obiectiua, vt dictum dub. præcedenti. De qua re bene etiam differit Franciscus Suarez disp. 1. Metaph. n. 12. & disp. 44. num. 64. & 68. Quod si abstractione ipsa nudè secundum se, siue ex parte subiecti & obiecti formalis Quod, siue ex parte principiorum seu mediorum spectemus, tunc illa, proprie non est ratio nec Quæ, nec sub qua, siue propter quæ, sed solus conditio concomitans vtriusque. Quo modo etiam Bañes hic q. 1. a. 3. dixit, *abstractionem non posse esse rationem formalem sub qua, nisi tantum ut conditionem.*

Assertio V. Neque in Theologia, neque in alijs scientijs opus est alia ratione formali sub qua, diuersa à ratione formali Quæ, & propter quam, ad ipsos habitus specificandos: sed ratio specifica obiecti scibilis, specificantis habitum quemlibet, desumitur adæquate, & constituitur ex ratione formali Quæ, & ratione formali obiectiua, quam adæquate sumptas. Ita præter Gregorium de Valentia & Valquez loc. supra citatis, sentiunt etiam veteres Scholastici, qui communiter duplicem solum rationem formalem obiectiuam constituunt, videlicet vt Quæ, siue vt res, & vt Quæ siue propter quæ; & promiscuè nonnunquam vtramque; maxime vero rationem propter quam, vocant etiam rationem sub qua.

In specie verò ita docet S. Thomas in 3. dist. 33. q. 1. a. 1. quæstiu. c. 1. vbi ait: *In speculatiuis diuersitas materia, secundum quod est determinabilis per diuersa media & principia, ex quibus est facilitas considerationis, facit diuersas scientias.* Et in 1. 2. q. 54. a. 2. ad 1. & 2. asserit, ea, quæ specie differunt, quatenus conueniunt in vna ratione cognoscibilis, pertinere ad vnum habitum cognoscentem; nimirum quando est eadè in vtriusque; cognoscendi ratio, eademque media siue principia; vt ibidem explicat. E contrario diuersam rationem cognoscibilis, desumptam ex diuersis principijs, inducere scientiarum diuersitatem, asserit hic 1. p. q. 1. a. 1. ad 2. vt paulo ante retulim. Idè repetit. lib. 1. postter. lect. 15. 17. & 41. vbi fuse docet, materiale diuersitatem obiecti, non diuersificare habitum scientificum; sed formalem rationem scibilis, quæ

sumitur à principijs; eodemque modo & sensu loquitur etiam alibi: adeo vt proinde imerito S. Thomas in eam sententiã adducatur, quasi is rationem sub qua distinxerit, à ratione formali Quæ, & propter quam, à quibus tamen illam ipse nunquam distinxit. Imo hic q. 1. a. 7. etiam ipsam obiecti Theologiæ rationem Quæ, nimirum *Deitatem* vocat rationem sub qua: *Omnia, inquit, pertractantur in sacra doctrina sub ratione Dei; vel quia sunt ipse Deus; vel quia habent ordinem ad Deum, vt ad principium suum &c.*

Eodem modo Capreolus q. 4. prolog. art. 5. concludit, ex sententiã S. Thomæ, quia etiam ipse sequitur, rationem scibilis, ex qua scientiæ specificantur, sumi ex medio, siue principio. Et licet Capreolus ibidè, præter rationem formalem Quæ, distinguat in obiecto duplicem rationem formalem ex parte ipsius medij, siue principij, videlicet rationem cognoscendi, & rationem cogniti; hæc tamen ipsa apud illum à priori re ipsa non distinguitur; sed est ipsa denominatio obiecti materialis ab illa priore ratione cognoscendi; v. g. intelligibile vel scibile, per tale vel tale medium: nec vti ille, si de terminis seu verbis etiam ipsius loquamur, rationem sub qua, à ratione per quam distinguit. Eodè modo loquitur Caietanus hic q. 1. a. 3. vbi licet rationem scibilitatis, vel abstractionis constituat, per rationem formalem sub qua, non tamè eam distinguit à ratione formali obiectiua Quæ, & propter quam; sed potius eam ad hæc ipsam docet pertinere, vt paulo antea respon. ad secundam obiectionem, ex Caietani verbis declarauimus.

Ratio vero generalis assertionis est. Quia ex parte obiecti, duo tantum formaliter & essentialiter continentur & requiruntur ad cognitionem; quibus etiam sufficienter specificantur & distinguuntur potentia & habitus cognoscitui: nimirum obiectum, siue subiectum quod cognoscitur; quod spectat etiam ratio formalis Quæ, principaliter terminans potentiam aut habitus cognitionem; & Medium, quo cognoscitur; quæ est ipsa ratio formalis obiectiua, propter quam: siue hæc interim in abstracto concipiatur; siue in concreto; vt formaliter afficiens siue denominans obiectum Quod; & rursum siue hæc ratio sit adæquata & proxima, siue inadæquata & remota; per varie assignari posse, tã in Theologia, quã in alijs scientijs, satis dictum fuit dub. 1. Quia ratione etiam nonnulli Doctores quandoque distinguunt rationem sub qua alicuius habitus, à ratione Quæ, vt hæc sit medium primarium & remotum, quo niritur assensus; illa mediū immediatū, & à priore quasi derivatū, vt superius de Albertino ante primam assertionem notauimus. Quanquam ad vitandas omnes æquiuocationes, & ne pro libitu quasi sermonem, & linguam in scientijs tradendis inducimus, nouasque loquendi regulas ac leges absque necessitate præscribamus; existimos nihil inter rationem formalem Quæ, siue propter quam, & sub qua distinguendum; cum ea distinctionis ratio, etiam si de verbis ipsis nudè loquamur, veteribus scriptoribus planè videatur fuisse incognita.

Et confirmatur assertio. Quia impossibile est, plures habitus specie diuersos assentiri eidem obiecto materiali, propter eandem, rationem formalem obiectiuam Quæ, siue

propter quam, adæquate sumptam, vt inductione patet.

Ratio verò specialis pro Theologia, cuius in assertione mentionē fecimus est, quòd nec S. Thomas vsquam alterius rationis formalis meminit, quā diuinę reuelationis obscure, vel reuelabilitatis; vt præcedenti dub. vidimus: & per hanc ipsam, ibidem declaratam, rationem formalem obiectiuam Qua, siue propter quam, Theologia sufficienter & adæquate distinguitur ab omnibus alijs habitibus. Nullus enim alius habitus, præter Theologiam supernaturalem in genere, assentitur conclusioni, propter assensum supernaturalem principij reuelati: nec vllus habitus præter Theologiam nostram, assentiri potest conclusioni, propter principium reuelatum, vt creditum fide diuina, seu propter ipsum assensum fidei circa principium reuelatum; vt eodem dub. præcedenti declarauimus.

11 Obijcitur; Visibile, audibile, tangibile, &c. constituunt rationem formalem obiecti visus, auditus, tactus, &c. ex communi sententia, apud Caietanum hic q. 1. a. 3. & alios Doctores; conuenienter ipsi etiam Aristoteli, lib. 2. de anima. text. 62. 63. & 66. & tamen nec sunt ratio formalis Quæ, nec ratio formalis Qua, siue propter quam. Nam ratio formalis obiectiuam Quæ visus est color vt color, in latissima significatione, prout etiam includit lumen; Ratio formalis Qua, siue propter quam, est lumen: Ergo visibile, est ratio quædam formalis obiecti visus sub qua, distincta ob vtraque ratione Quæ, & Qua, siue propter quam. Responderetur, visibile, audibile, &c. dupliciter accipi posse; primo quasi passiuè pro sola denominatione extrinseca à visu, auditu;

vt idem sit, quod posse videri, audiri; & hac ratione visibile, audibile, & similia nullo modo sunt ratio formalis obiecti, vt dictum assert. 3. Secundò accipi possunt actiuè, prout significant ipsam vel causalitatem, seu vim actiuam obiecti materialis, in quantum est non solum terminatum, sed motiuum potentie ad actum suum. Et hac ratione visibile, audibile, non aliter, quam de obiecto scibili ex Caietano supra diximus, includit duplicem rationem formalem obiecti visus, auditus, &c. nimirum rationem Quæ, & rationem Qua, siue propter quam; ac proinde nec hac quidem ratione constituunt peculiarem rationem formalem obiecti, distinctam à ratione Quæ & Qua, sed sunt ipsum obiectum formale adæquatum visus, auditus, constitutum ex ratione Quæ & Quæ, in quantum est actiuum, seu motiuum potentie; vt satis declarat etiam ipsè Aristoteles lib. 2. de anima cit. text. 66.

Neque enim ipsa causalitas obiecti, in quantum est motiuum potentie ad actum, aliter potest explicari, quam tum ex parte rationis formalis Quæ, principaliter mouentis & terminantis actum: tum ex parte medijsiue modi, quo obiecti Quod mouet potentiam ad actum; siue nimirum mediantibus his vel illis speciebus, siue mediante hoc vel illo principio, seu lumine, &c. Et hac ratione etiam concedi potest, scibile, visibile, audibile, quæ talia &c. esse rationes formales obiectiuas, seu potius obiecta ipsa formalia, quibus habitus vel potentie distinguantur; quamuis idcirco minime dicantur rationem aliquam sub qua, distinctam à ratione formali Quæ & Qua, vt etiam supra ex Caietano hic q. 1. a. 3. retulimus. Atque hæc de obiecto Theologiæ satis.

QVÆSTIO IV.

De Proprietatibus, & attributis Theologiæ.

S. Thomas 1. p. q. 1. a. 3. 4. 5.

Resolvitur hæc quæstio quinque dubijs. I. Vtrum Theologia habitus sit naturalis & acquisitus, an supernaturalis & infusus. II. Vtrum Theologia sit vnus habitus, seu vna scientia, an verò plures. III. Vtrum Theologia sit scientia speculatiua, an practica. IV. Vtrum Theologia certitudine alij habitibus & scientijs naturalibus antecellat. V. Vtrum Theologia dignitate eosdem simpliciter superet.

DVBIVM I.

Vtrum Theologia habitus sit naturalis & acquisitus, an supernaturalis & infusus.

Ad S. Thom. 1. p. q. 1. a. 3.

Proprietates seu attributa Theologiæ, quædam sunt quasi transcendentiæ; alia magis propria; eademque vel absoluta, vel respectiua: de singulis breuiter & ordine dicendum. Inter attributa verò transcendentiæ, controuersum maximè est, an Theologia sit habitus naturalis & acquisitus, an vero supernaturalis & infusus; cuiusque dubitationis resolutio in primis dependet

ex ratio.

ex ratione formali obiectiua Theologiæ, à qua sumitur scientiarum specificatio & distinctio, vt dictum quæst. præced. dub. 2.

Sunt autem de præsentia dubitatione quatuor Doctorum sententiæ, Prima sententiæ est, esse habitum simpliciter supernaturalem, adeoque per se infusum. Ita expressè docet Suarez 3. part. tom. 2. disp. 19. sect. 3. post assert. 2. Idem sentire videntur Heruæus, quodlib. 5. quæst. 19. & Scotus in 3. d. 34. & 35. quæst. vn. quo vtroq; loco doctrinam, qua ex principijs fidei cognoscuntur conclusiones, ipsiq; assentimur, vocat scientiam infusam, vt retulimus supra q. 2. dub. 2. Item Molina hic q. 1. art. 2. disp. 1. simpliciter asserit, assensum Theologiæ esse supernaturalem, quamuis eius causa seu ratio partialis sit naturalis, ad eum modum, quo actus fidei, spei, & caritatis sunt supernaturales, etsi partialis eorum causa itidem sit naturalis.

Et eodem art. 2. disp. 2. dicit, habitum Theologiæ esse acquisitum supernaturalem, ppter concursum fidei infusa ad eius generationem. Quod, ne sit implicatio in adiecto, sic equidem intelligo, vt acquisitum vocet, iuxta eum sensum, quo etiã inferi⁹ assert. 3. S. Thomam interpretabimur. Alias enim quod intrinsecè supernaturale est, in genere habitus, propriè ac strictè acquisitum dici non potest, vt inferius dicemus. Eandem sententiã indicat Henricus Gandauensis in Sum. a. 8. q. 2. asserens, hanc scientiam excedere hominis speciem, et ex partibus naturalibus, attingi non posse, sed solum per gratiam. Bonauentura q. 4. prolo. sentit. hanc scientiam imprimi à Deo. Alensis 1. p. q. 1. n. 4. a. 2. vocat modum huius scientiæ modum sciendi per inspirationem, non per humanam (naturalem) rationem; item scientiam traditam secundum spiritum diuinum, non humanum etc. Idem sentiunt S. Thomas, & Aureolus assert. 1. & 2. citandi.

Secunda sententiã est, priori è diametro opposita esse habitum tam in se, & quoad substantiam, quã ex ratione formali obiectiua proxima, merè naturalem & humanum ac proinde acquisitum; tamen si supponat reuelationem diuinam, tanquam conditionem materiale ex parte principiorum. Ita sentit Gabriel Vasquez hic disp. 1. numero 8. & disp. 5. num. 4. cum alijs citatis supra quæst. 2. dub. 2. qui docent, Theologiam esse habitum solummodo opinatiuum, seu fidei humanæ. Qua de causa etiam idem Vasquez disp. 1. num. 9. docet, posse Theologiam manere in Hæretico, etiam quoad actum secundum, siue exercitium.

Tertia sententiã est, Theologiam esse, quoad substantiam, habitum naturalem & acquisitum; nihilominus tamen aliquo modo supernaturalem, propter concursu fidei supernaturalis, velut habitus principiorum Theologiæ, adeoque ob rationem obiectiuam supernaturalem saltem inadæquatam. Significat Franciscus Albertinus tom. 1. princip. 3. coroll. 2. n. 20. vbi ait: *Ratio assentiendi conclusioni Theologica est lumen supernaturale, mixtum lumine naturali. Unde sequitur, quod conclusio Theologica non potest dici simpliciter naturalis: quia certitudo*

conclusionis Theologica est diuersa à alterius speciei. Similia habet Gregori⁹ de Valètia hic q. 1. p. 3. s. 2. & 3.

Quarta sententiã est, huic opposita, esse habitum supernaturalem intrinsecè ac quoad substantiam, naturalem vero quoad modum; & propriè ac simpliciter acquisitum, non infusum. Ita Petrus Fonseca lib. 6. Metaph. cap. 1. q. 6. sect. 8. vbi ait, vtramque & fidem, & Theologiam esse supernaturalem; illam tamen infundi, hanc verò à nobis, concurrente etiã illa, acquiri: nisi fortè ad mentem nostram assertionis 3. locutus sit. Idè docet Christophor⁹ Gillius lib. 1. Theolog. tract. 4. cap. 12. num. 6. & 7. Idem significat Bannes hic q. 1. art. 1. dub. 1. vbi Theologiam simpliciter vocat supernaturalem, Et tamen ibid. q. 1. a. 3. ad 1. *Lumen Theologicum*, (quo nomine videtur habitum intelligere) vocat *acquisitum*. Item Zumel hic q. 1. art. 3. quæst. 2. dicit, *Theologiam esse scientiam supernaturalem, que superat comprehensionem humanæ mentis*. Et quæst. 1. art. 7. quæst. 1. dicit, fidem esse habitum infusum, Theologiam vero nostram *humano studio comparatam*.

Pro resolutione huius dubij supponimus, quod supra q. 1. dub. 2. docuimus, in Theologis etiam Orthodoxis duplicem dari habitum Theologiæ, vnam qui simpliciter talis est & dicitur; alterum Theologiæ opinatiuæ.

Assertio I. *Habitus Theologiæ simpliciter dictæ (cuius rationem hætenus explicauimus) est supernaturalis intrinsecè & quoad substantiam.* Ita omnes authores pro prima & quarta sententiã relati; vt proinde hæc iure communis sententiã dici possit; quam non obscure etiam indicat, S. Thomas hic q. 1. art. 3. ad 3. vbi ait, sacram doctrinam, siue Theologiam, esse velut impressionem quandam diuinæ scientiæ. Probat. Omnis habitus cuius ratio formalis obiectiua immediate & adæquatè est supernaturalis, is necessario etiã ipse in se, & quoad substantiam, supernaturalis est: Sed Theologiæ ratio formalis obiectiua immediata & adæquata est supernaturalis: Ergo etiam ipsa in se, & quoad suam entitatem ac substantiam, supernaturalis est. Maior probatur. Quia ex comuni & certa S. Thomæ, aliorumq; Doctorum sententiã, ratio ac specificatio intrinseca habituum desumitur à ratione formali obiectiua, vt dictum quæst. præced. dub. 2. & 3.

Minor constat ex eodem dub. 2. vbi etiam ex communi doctrina S. Thomæ 1. 2. q. 109. art. 1. & 3. contra Gabrielem & alios quodã, apud Bellarminum lib. 1. de grat. & lib. arbit. cap. 6. Gregorium de Valentia t. 3. q. 6. p. 1. Vasquez hic disp. 4. n. 23. & d. 5. num. 44. & 214. & in 1. 2. disp. 187. tanquã certum suppono, actum diuinæ fidei esse supernaturalem, etiam quoad substantiam.

Secundo omnis act⁹, procedens ex duabus causis efficientibus, naturali vna tanquã potètia, & supernaturali altera, velut habitu, est act⁹ intrinsecè supernaturalis; vt videre est in actibus omnium virtutum supernaturalium: sed actus siue assensus Theologiæ procedit quidem effectiue à naturali potentia intellectu⁹; at simul tamen etiã aliquo modo (mediate) à fide, velut habitu principiorum Theologiæ: Ergo &c. Vbi iã simul etiam ex Aureolo, Molina,

& alij, notauius, actū ex duabus eiusmodi causis procedentem quo ad rationē supernaturalitatis nō sequi partē deteriore. Quod si actus Theologiæ intrinsecē supernaturalis est, necesse est, etiā habitū ipsum Theologiæ intrinsecē supernaturalē esse.

Tertio, nullum Ens naturale per se & necessariō, quoad suā entitatem ex genere suo vniuerso, depēdet à causa particulari intrinsecē supernaturali, qua talis est; quia natura sibi ipsi in suo genere & ordine sufficit; & uti non amat superflua, ita in necessarijs non deficit: Sed Theologiæ habitus per se, & ex suo genere vniuerso pendet necessariō, à causa particulari supernaturali, qua talis est; nimirum ab ipso habitu fidei, ut elicente assensum supernaturalem, Ergo, &c.

Quarto, si habitus Theologiæ, quoad entitatem & substantiam, esset naturalis; tunc ordo quoq; eius siue habitudo, tū ad ei⁹ rationē formale obiectiuam, tum ad habitum & assensum principiorū, ex quo necessariō dependet, esset quoq; naturalis; cum omnis respectus siue habitudo transcendentalis alicuius habitus ad rationē obiectiuā, sit eiusdem ordinis & generis cum ipso habitu; nec enti naturali conaturalis & innata esse possit habitudo seu respectus intrinsecē supernaturalis: sed dici nō potest, habitudinē illam Theologiæ ad rationem formalem obiectiuam seu habitum & assensum principiorū, esse intrinsecē, naturalem, quandoquidē omnis motus, siue tendentia, & relatio specificatur à termino &c. Ergo nec ipse habitus Theologiæ, potest intrinsecē esse naturalis.

Assertio II. Idem habitus Theologiæ simpliciter dictæ, est etiā per se ac ex suo genere infusus; non verò propriē & strictē acquisitus. Ita sentio cū authoribus primæ sententiæ: vbi simul suppono, habitū propriē & strictē acquisitū esse, qui nostris actib⁹ conaturali efficiētia Physica producitur & acquiritur; infusum verò, qui excedit vires & facultatē humanæ naturæ, nostrisq; adeo actib⁹ modo explicato produci nō potest, sed à Deo efficitur; esto nostris aliqñ actib⁹ dispositiue acquiratur; uti omniū virtutū habit⁹ supernaturales, ab adultis acquiri & comparari possunt. Probatur assertio ex præcedētī assertione certissima consecutione. Nullus enim habit⁹ supernaturalis quoad substantiā, potest esse habit⁹ propriē & strictē (modo explicato) acquisitus; esto possit aliqñ esse per se infusus, & quoad substantiā naturalis, ut de speciebus angelicis docetur: Theologiæ habit⁹ est intrinsecē & quoad substantiā supernaturalis, ut dictū assert. præc. Ergo &c.

Maior sumitur ex generali doctrina S. Thomæ in 1. 2. q. 5. 1. a. 4. vbi generatim omnes habitus supernaturales docet esse per se infusos. Verba ei⁹ sunt: *Dicendum, quod duplici ratione aliqui habitus homini à Deo infunduntur. Ratio prima est, quia aliqui habitus sunt, quibus homo bene disponitur ad finem excedentem facultatem humanæ naturæ, quæ est vltima & perfecta hominis beatitudo; (quibus verbis S. Thomas omnes habitus supernaturales cōprehendit.) Et quia habitus oportet esse proportionatos ei, ad quod homo disponitur secundum ipsos, ideo necesse est, quod etiam habitus ad eiusmodi finem disponentes, excedant facultatem humanæ naturæ: unde tales habitus (vtique supernaturales) nunquam possunt homini inesse, nisi ex infusione diuina; sicuti*

est de omnibus gratuitis virtutibus. Ita S. Thomas cui proinde, ut & communi Thomistarum, aliorumq; Theologorum doctrinæ repugnat, dicere aliquē habitū esse intrinsecē & quoad substantiā supernaturalē, & tamē simul propriē acquisitum.

Ratio generalis desumitur ex improportione intrinseca potentię naturalis producēdi cōnaturaliter effectiue, etiam mediante actu, habitū supernaturalē: eo ipso quod nō est principii cōpletū in actu primo ad actū supernaturalem, ut suo loco docetur. Alias ratio nulla esset, cur nō in adultis habit⁹ virtutū supernaturaliū, ut fidei, spei, & charitatis &c. mediantibus actibus, effectiue quoque producerentur. Quocirca equidem hæc duo inter se coniungere & conciliare non possum, ut habit⁹ aliquis intrinsecē sit supernaturalis, & tamen propriē acquisitus, prout authores quartæ sententiæ sentire videntur; nisi fortē de habitu acquisito latiore aliquo significato locuti sint; quod si fecerunt, nihilominus tamen in modo loquendi à recepta S. Thomæ & aliorū Theologorum sententiā recesserunt.

Secundo probatur eadē assertio, Quia si Theologia esset habitus acquisitus, saltē cū aliqua intentione & extensione, diuturniori aliquo exercitio actuū mediātē, cōiunctus, tunc nō subito, quouis actu contrario heresis, habitus ille totus, quoad substantiam amitteretur: sed amitteretur: Ergo. Minorem ex cōmuni recentiorum sententiā tradit Gregorius de Valentia hic q. 1. punc. 5. §. 2. Et si contrarium cum Maiore in 4. quæst. prol. assertat Vasquez hic d. 1. num. 9. & disp. 4. n. 23. Et ratio videtur esse, quia si Theologia habitus quoad substantiam maneret in heretico, cum aliquo fidei errore, tunc eo uti posset; quia habitibus utimur, quando volumus: at verò eo uti non potest; cum careant habitu principiorum, nimirum ipsa fide, à qua necessariō vsus Theologiæ simpliciter dictæ dependet. Maior propositio probatur. Quia habitus acquisiti, eo modo amittuntur, quo acquiruntur, nimirum successiue & pedetentim, iuxta proportionem actiuitatis contrariorum actuum, adeoque impossibile est, ut intensus quilibet habitus acquisitus vnico, & quouis remisso actu contrario deperdat, ut videre est etiam in omnibus naturalibus qualitatibus habitibus contrarium, & latitudinē aliquā intensiōis; speciatim verò in cæteris habitibus acquisitis.

Nec obstat, quod quouis actu heresis amittatur fides, à quā tamen veluti habitu principiorum pendet Theologiæ habitus. Hinc enim quidem consequitur, Theologiæ habitum amitti seu deperdi quoad vsum & exercitium; sed non etiam quoad suam substantiam & entitatem; siquidem habitus Theologiæ acquisitus sit, nō infusus. Habitibus enim acquisitis dependet quidē necessariō etiā quoad vsum, atque etiā in fieri, ab habitu principiorum, eiusue actu: at immediatē quoad substantiam in esse & conseruari non item; cum sint duo habitus realiter distincti; qui quoad entitatē suā essentialē depēdentia per se immediatē nullā habent. Vnde etiam per impossibile subito & vnico actu remisso amitteretur intensus aliquis acquisitus habit⁹ primorū principiorū, nihilomin⁹

tamen.

tamen habitus scientiarum, quoad entitatē suam aliquandiu permanerent; donec contrarijs actibus, aut ipsa forsitan etiā cessatione vsus, successivē destruerentur. E contrario vero si dicamus habitū Theologiæ simpliciter dictæ supernaturalē & infusum esse, faciliē explicari & intelligi potest, eum per vñū actum hæresis, simul cum ipsa fide, saltē demeritoriē destrui; vti & cæteras virtutes infusus.

Et confirmatur vtrāq; præcedens assertio, ex scriptura: quæ scientiā, vt apparet, nō obscurē subinde donis gratiæ adnumerat. Vt Sap. 10. v. 10. *Dedit illi scientiam Sanctarum.* Ierem. 3. v. 15. *Dabo vobis pastores iuxta cor meum, & pascant vos scientia & doctrina.* Ephes. 4. v. 11. *Dedit alios pastores & Doctores ad consummationē sanctorum.* Et 1. Cor. 12. v. 30. cætera inter munera diuina numerantur etiam Doctores: & mox additur; *AEmulamini autem charismata meliora.* Et ibidem superius v. 8. dicitur: *Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ; alij autem sermo scientia secundum eundem spiritum.* Et rursum cap. 13. v. 8. *siue scientia destruat.* Quibus locis significari Theologiam, sentiunt cum Caietano in commentario eius Epistolæ, Molina hic. q. 1. art. 2. disp. 1. Gregorius de Valentia q. 1. p. 3. post S. Augustinum lib. 14. de Trinit. cap. 1. Nec dubiū, quod Apostolus illic de habitu quodā infuso loquatur.

Accedit, quod Aureolus q. 1. prolog. a. 3. adductis testimonijs probat, Theologiam, etiam illam esse sapientiā, de qua sancti mentionem faciunt, & ad quam conatur peruenire, vt diximus etiā q. 2. dub. 5. Quomodo autem eidem vtrique assertioni non aduersetur S. Thomas, dicitur assert. sequent.

Assertio III. Idem tamē Theologiæ habitus dici potest aliquo modo naturalis & acquisitus, quoad modū. Hæc videtur mens S. Thomæ hic q. 1. a. 6. ad 3. vbi dicit, *hanc doctrinam (Theologiam) per studium haberi; licet eius principia ex reuelatione habeantur.* Id quod secundum doctrinam S. Thomæ intelligi minimē potest, de studio merē humano & naturali. Quia sicut cuiuslibet scientiæ studium inuoluit assensum, vsum & exercitationem, ex quibus conclusiones eiusdem scientiæ deducuntur, ita studium hoc, iuxta eundē S. Thomam, docentem habitum fidei, esse habitum principiorum Theologiæ, vt dictum q. præc. dub. 2. inuoluit etiam vel maximē ipsum assensum diuinæ & supernaturalis fidei, velut assensum principiorum Theologiæ; qualis tamen assensus fidei sine gratiæ auxilio haberi non potest, vt in pluribus concilijs definitur. Intelligitur ergo S. Thomas de studio, non quo efficienter à nobis producatur habitus Theologiæ; quomodo habitus propriē acquisiti à nobis producuntur, vt superius dictum; sed quo velut dispositione & conditione præuia, instar aliarum virtutum supernaturalium & infusarum, à nobis Theologiæ habitus vtcunque acquiratur & comparetur.

Vbi tamen hæc differentia inter alios virtutum habitus per se infusos, & Theologiam est, quod illi & infantibus in Baptismo infunduntur absque vllō studio, & ab adultis sæpe acquiruntur absque proprijs actibus ad eas virtutes pertinētibus;

Theologiæ autem habitus, de quo loquimur, à nemine (iuxta legem Dei ordinariam) vel acquiritur vel augetur, nisi per studium & Theologicam exercitationem, velut conditionem, & dispositionem præuiam; idque iuxta proportionē & mensurā eiusdē studij & conatū. Qua in re proinde Theologiæ habitus acquisitus se accommodat; ob eam nimirum causam, quod vt est in hoc, vel illo homine, per se ad propriam eius salutem non sit necessarius, vt q. 1. dub. 1. dictum: cum tamen alij habitus virtutum supernaturalium, per se ad salutem necessarij sint etiam in singulis. Atque hæc de causā diximus, Theologiæ habitū aliquo modo dici posse naturalē & acquisitum quoad modum.

Quæres; cum Theologiæ habitus sit supernaturalis & infusus, vt dictū, ad quod nā genus gratiæ pertineat; an ad gratiā gratis datam, quæ ad aliorum duntaxat salutē per se ordinatur; an ad gratiā gratum facientem, quæ ad habentis vtilitatem in primis spectat. Respondetur, habitū Theologiæ esse quodammodo mediā, inter gratiā gratū facientem & gratiam gratis datam. Neq; enim sine proprio studio vnquā comparatur, vt gratia gratis data; neque directē ac præcipuē in solā habentis vtilitatē & sanctificationē cedit, vt gratia gratū faciens: nihilominus tamē cū per se infusus habitus sit, comunemq; Ecclesiæ vtilitatem per se ac directē spectet, simpliciter & absolutē potius gratijs gratis datis annumerandus erit; iuxta illud Apostoli. 1. Cor. 12. v. 8. *Alij autem (datur) sermo scientiæ;* quo loco per scientiam à viris doctissimis Theologiam intelligi, superius dictum est.

Assertio IV. Sed & habitus Theologiæ opinatiuæ intrinsecē ac secundum substantiā, est merē naturalis & acquisitus. Ita quoad hoc rectē Vasquez, & alij supra, p. secunda sententia relati, & sequitur ex dictis quæst. 2. dub. 2. assert. 3. Probatur. Quia ille habitus intrinsecē & quod substantiam, est merē naturalis & acquisitus, cuius ratio formalis obiectiua, seu obiectum formale Quo immediatū & proximi, est merē naturale: sed talis est habitus ille Theologiæ opinatiuæ: Ergo &c. Minorē probauimus q. 3. dub. 2. Maior constat ex dictis: quia ex ratione formali obiectiua adæquata & immediata distinguuntur habitus naturales & acquisiti, à supernaturalibus & infusis, vt patet ex q. 3. & suo loco docetur. Obiecta verò materialia eorundem sepe sunt eadē: siquidē & obiectum materiale fidei, qui est habitus supernaturalis, esse potest etiā naturale, vt Deum esse; & e contrario, materiale obiectum habitus naturalis, potest etiā esse supernaturale & reuelatū, v. g. Deū esse Trinū & vñū; quod non solū fide humana, sed etiā naturali & humana suo modo credi potest, vt dictum quæst. 3. dub. 2. Minor probatur ex dictis eadē q. 3. du. 2. vbi, probauimus, Theologiæ opinatiuæ rationem formalem obiectiuam esse solum assensum fidei humanæ circa veritates reuelatas: in quo et si obiectū materiale sit supernaturale, tamē ratio formalis assentiendi est merē naturalis & humana, vt ibidē dictū.

Atque ex dictis etiam sequitur, habitum hunc Theologiæ opinatiuæ manere etiā in hæreticis, vt rectē etiam quoad hoc, docet cum Maiore Vasquez loc. cit. & dictum supra q. 2. dub. 2.

DVBIUM II.

Verum Theologia sit vnus habitus, seu vna scientia an verò plures.

S. Thom. 1. part. q. 1. art. 3.

Aliud Theologiæ attributum, quasi transcendens, est vnitas: de qua variè potest quæstio institui, prout vel de Theologia, vel de vnitate scientiæ alicuius variè loqui possumus. Primò enim quæri potest, V. Theologia in omnibus omnino subiectis, siue suppositis, in quibus suo modo reperitur, puta in Deo, Angelis, Christo, Beatis ac Viatoribus, &c. sit vnus specie habitus, seu vna scientia. Et ad hanc quæstionem patet responsio ex dictis supra q. 2. dub. 3. esse habitus vel scientias toto genere, imò plusquam genere diuersos, vt ibidem fultus exposuimus.

Secundò de nostra tantum Theologia loquedo, quæri potest, Vtrum Theologiæ habitus, etiam in eodem homine, numero vel specie multiplicetur, pro varietate finium, quos sibi propositos habet Theologus. Qua quidè ratione Durandus q. 1. prol. n. 6. 7. & 8. item Marsilius q. 2. a. 2. & fere etiam Petrus de Alliaco in 1. sent. q. 1. art. 3. tres Theologiæ habitus distinguunt; primum, quo simpliciter cognoscitur & creduntur ea, quæ in sacra scriptura traduntur; secundum quo eodem defenduntur & declarantur; tertium, quo assentimur conclusionibus deductis ex articulis fidei.

Consentit his Ioannes de Bassolis q. 5. prolog. a. 3. vbi ex eodem capite tres Theologiæ habitus distinguit. Nimirum 1. habitum quo assentimur his, quæ credenda proponuntur è sacra scriptura. 2. habitum declaratiuum sacrae scripturae. 3. habitum deductiuum cõclusionum Theologicarum ex articulis & creditis, quasi ex principijs. Quibus ipse quidè ibidem adiungit quartum habitum defensionum vel probatiuum per rationes demonstratiuas vel probabiles Philosophorum, quæ assumuntur, inquit, in obsequiũ Theologiæ; sed idè ipse mox addit, tale habitum nõ esse Theologiã, sed potius Philosophiam. Adiungit etiã ibidem quintum habitum Theologiæ abstractiuũ possibile Viatori; sed hũc ipse nõ distinguit ab alijs habitibus ex fine diuerso, sed ex modo sciendi; quinimur euentiam quandam adiunctam habet.

Sed & Scotus quoque in 3. d. 24. habitum, quo assentimur scripturae veritatibus, & conclusionibus inde deductis, diuersum facit, ab eo Theologiæ habitu, qui versatur in Scripturarũ expositione, & dubiorum solutione, & imixtione Philosophiæ; illum non eundem cum fide habitũ facit: hanc verò à fide distinguit, vt notauit etiam Aureolus q. 1. prol. art. 1. & dictum supra q. 2. art. 2.

Sed & ex eodẽ capite nõnulli recentiores iuxta descriptionem Theologiæ traditam à S. Augusto lib. 14. de Trinit. cap. 1. (quam retulimus q. 1. dub. 1.) numerant quatuor habitus Theologiæ, partim formaliter, partim realiter distinctos, quos etiam dicunt pertinere partim ad primam, partim

ad secundã, vel tertiã operationem intellectus; videlicet 1. habitum declaratiuum rerum fidei. 2. probatiuum. 3. defensionum. 4. deductiuum.

Sed ad quæstionẽ hoc sensu, ppositã, Respondeo breuiter, assentiri simpliciter ijs, quæ traduntur in scriptura sacra, deprecere quidè habitũ distinctũ ab habitu Theologiæ, pprè dictã, videlicet habitũ ipsum fidei; vt notauit etiã ipsemet Durandus, at tamen alioqui ex diuersis præcise finibus, qui pprè ad Theologiam pertineant, vt est declarare, probare, defendere & deducere res, seu veritates fidei, per se nõ multiplicari habitus Theologiæ; licet ipsa etiam Theologia ad eiusmodi fines sapiet etiã extrinseco ministerio aliorũ habitũ vtatur. Hanc doctrinam insinuat Vasquez hũc disp. 7. cap. 1. supradictam Durandi opinionem referens. Probatur. Nam vt dictum est, quæst. 2. dub. 1. declarari res fidei, seu ipsius scripturæ sensus, non minus quam probari, vel deduci veritates fidei possunt veris discursibus Theologicis qui per omnes ad vnum & eundem habitum pertinent. Defensio etiam, quæ in reputatione errorum contra fidem, & solutione argumentorum potissimum cõsistit, cõmuniter nõ fit absque discursu Theologico; vt v. g. hanc propositionẽ Aduersarij esse falsam, & iure negandam, quia aduersatur huic vel illi principio fidei vt ibidem diximus. Cum ergo, vt inferius dicetur, omnes discursus pprè Theologici ad vnum specie habitum Theologiæ pertineant, non est, cur ex prædictis finibus habitus Theologiæ per se multiplicetur.

Quod si ad aliquem prædictorum finium forte, vt fit, adhibeatur aliqua explicatio terminorum, vel aliarum disciplinarum vsus ac ministerium, tũ ex actibus quidem his, ad eiusmodi fines ordinatis, varij habitus distingui poterunt; sed qui pprè non sunt Theologici, nec ad Theologiam per se spectant, sed ad peritiã Grammaticã & linguarum, aliasque disciplinas & scientias, vt ibidè q. 2. dub. 1. notauimus & mox iterum ad sequentẽ sensum quæstionis dicetur. Neque video, quomodo quatuor illi habitus Theologiæ, pprè ad triplicem mentis operationem spectare dicantur: cum præsertim prima operatione mentis exercenda sufficiant species intelligibiles; nec omnino requiratur vllus habitus assensiuus; saltem à Grammaticã, Logica, & similibus sermocinalibus artibus distincta.

Tertius quæstionis sensus esse potest; an nihil obstãte varietate actũ, & ipsarum quoque argumentationũ, quæ ex varijs subinde medijs & principijs, puta reuelatis, euentib⁹, aut etiam solum probabilibus, etiã in ordine ad vnum & eundẽ finẽ (v. g. ad aliquam fidei propositionem; seu aliquid ex ea cõsequens probandũ) à Theologis vsurpantur, vnus sit Theologiæ habitus, eodẽ omnes act⁹ eliciens. Et ad hoc certa & plana responsio est, Theologiã hac ratione nec vnã scientiã esse; nec vnum habitum, nec omnino vnũ per se; sed tantũ per accidens, seu quadã aggregatione, & respectu quasi extrinseco ad vnum finem: quemadmodum cũ S. Thoma hic q. 1. a. 8. habet cõmunis & recepta omnium scientia, apud Molinã hic q. 1. a. 3. disp. 1. Vasquez disp. 7. n. 11. Quia videlicet omnes illi,

quan-

quantumuis diuersissimi discursus, ad vnam eandem fidem explicandam, tuendam, & illustrandam referuntur; non ex natura rei, aut ipsius scientiæ; sed intentione scientis: cum interim pertineant ad habitus diuersissimos, vt fidem, opinionem, scientias, & disciplinas varias; quæ omnes pari fere studio Theologiæ ancillantur, vt etiam q. 1. dub. 2. & q. 2. dub. 3. dictum. Idemq; etiam in alijs scientijs accidit, quæ probabilib⁹, adeoq; alienis sæpe & extrinsecis argumentationibus vtuntur.

3 Quartus quæstionis sensus esse potest, vtum Theologia sit vnus habitus, saltem prout ex principijs propriè Theologicis, nimirum duabus præmissis reuelatis; aut vna reuelata, & altera naturaliter euidente, conclusiones deducit, ijsdè que assentitur. Et ad hanc quæstionem patet responso ex dictis supra q. 2. dub. 2. & q. 3. dub. 2. & 3. & hac q. dub. 1. Theologiã vniuersim loquendo, ne sic quidem esse vnũ habitũ; sed comprehendere duos habitus toto genere diuersos, videlicet naturalem & opinariũ, vnum; supernaturalem & infusum alterum; qui etiam simpliciter Theologiæ nomine appellatur, eosque per se minime subordinatos, aut essentiali vinculo inter se coniunctos; imò nec in eodem subiecto necessario conexos.

Quintus & primarius quæstionis sensus, quem etiam S. Thomas hic q. 1. a. 3. vnicè spectauit, est, Vtrũ Theologia, prout ex principijs reuelatis diuina fide creditis (siue vtraque præmissa sit reuelata, siue vna tantum, & altera euidens) colligit conclusionem, eique assentitur, sit vna totalis scientia, saltem vnitã specificã, seu eiusdem obiecti scibilis, desumpta ex vno obiecto formali quod, & vna ratione formali obiectiua propter quam: quo modo Logica, v. g. aut Physica, sunt, & dicuntur, vna scientia totalis; esto contineant interim singulæ plures habitus parciales. Et est Responso affirmatiua, quam tradunt S. Thomas cit. quæst. 1. art. 3. & communiter Theologi; speciatim Albertus Mag. in summa tract. 1. quæst. 3. & in 1. dist. 1. a. 3. Henricus Gandauensis in summa art. 6. quæst. 3. Ægidius 2. part. prologi quæst. 2. Richardus quæst. 3. Marsilius quæst. 2. art. 4. Ockam q. 3. princ. Ariminenis quæst. 3. art. 3. item Caietanus, & omnes comentatores S. Thomæ hic q. 1. a. 3.

Probatur, Quia vnitã hæc scientiarũ desumitur, vt dictũ, ex vno obiecto scibili, vt scibile est; nimirũ habente vnã rationẽ formale Quã, & vnã rationem formalem Qua, siue propter quam, vt pluribus declarauimus quæst. 3. dub. 2. & 3. at verò Theologia habet vnum eiusmodi obiectum scibile; quia habet vnum totale obiectũ siue subiectum attributionis, cum vna ratione formali Quã; nimirum Deum vt Deum, vt probauimus q. 2. dub. 1. & simul habet etiã vnã quondã rationem formalem obiectiuã Qua, siue propter quam, vt explicauimus ead. quæst. 3. dub. 2. Ergo planè est scientia totalis vna vnitã specificã, vt dictum. Neque verò opus est, vt vnus scientiæ obiecta siue subiecta materialia oĩa conueni-

ant in vna quãdam ratione essentiali & vniuoca, vt videre est in Metaphysica, quæ versatur circa Ens vt Ens. &c.

4 Sextus denique quæstionis sensus esse potest, Vtrum Theologia, illo eodem modo accepta, sit vnus simplex habitus, seu vna simplex qualitas. In qua re non consentiunt inter se Doctores. Negant enim Gabriel q. 8. prolog. & cæteri Nominales antea citati; quos sequitur Molina hic q. 1. a. 3. disp. 3. rati videlicet, nec alias scientias totales esse vnã simplicem qualitatem: id quod etiam docet Suarez Metaph. disp. 44. Affirmant Gregorius de Valentia hic q. 1. punct. 3. §. 3. Gabriel Vasquez hic disp. 9. num. 1. alijque recentiores Thomistæ hic quæst. 1. art. 3. & fauent Albertus, Henricus, Ægidius, Richardus locis cit. & planè etiam significat S. Thomas hic art. 2. ad 2. vbi docet, sacram doctrinã ita esse vnum habitum, sicut sensus communis est vna potentia; additque, eam esse velut impressionẽ quãdam diuinã scientiæ, quæ est vna & simplex omnium. Qui auctores idem etiam de cæteris scientijs naturalibus asserunt, in specie S. Thomas 1. 2. q. 54. a. 4.

Mihi quidem dubium non est, Theologiã simpliciter dictã, esse eo modo vnam, quo fides est vna. Cum enim vterque habitus sit infusus & supernaturalis, eademq; inĩtatur diuina reuelatione, seu mediãtè, seu immediãtè, vt dictum quæst. 3. dub. 2. non potest in præsentĩ diuersa esse vtriusque ratio. Fides autem est vna specie in omnibus, & vna numero simplex qualitas in singulis; de quo, inquit Molina loc. cit. nemo dubitat. De Theologia verò naturali & opinariua pari modo ratiocinandum est, sicut de alijs naturalibus habitibus scientiarum; in quibus equidè nil video, cur non vna simplex qualitas (habens tamen suos gradus intensiõis & extensiõis) possit æquè ad obiecta plura materialia sufficere, atque in supernaturalibus habitus sufficit; de quibus id absque temeritate non videretur posse negari. Accedit hæc pro Theologia specialis ratio; quod ea vnicam tantum, eamque planè simplicem & vniformẽ habet rationem formale obiectiuã; nempe principiũ reuelatũ, & vltimatè ipsã reuelationẽ; quæ supposita sufficienti, ppositiõne p se non habet aut parit maiorẽ difficultatẽ respectu vni⁹ assens⁹ Theologici, quã respectu alterius; cũ tamè in scientijs naturalib⁹ conclusionũ assensus sæpe inĩtatur medijs planè diuersis. Sed quã rotũ hoc negotiũ est instituti philosophici, nõ est in eo diuti⁹ inmorandũ. Plura tomo 2. disp. 3. dub. 4.

DVBIVM III.

Vtrum Theologia sit scientia, practica, an speculatiua.

S. Thom. 1. p. q. 1. art. 4.

1 PERTINET hæc etiã quæstio ad quoddã Theologiæ attributum; præsertim si, vt in feri⁹ docebim⁹, practiũ & speculatiuũ non sint differentiæ essentialis habitũ; sed tantũ accidentales. Sunt autè de proposita quæstione variæ DD. sententiæ. Prima est

est

est Alberti Magni in summa part. 1. tract. 1. q. 3. Scoti in prolog. q. 4. qui dicunt, Theologiam solū esse practicam, eo quod omnes veritates Theologiae, vt & fidei, nos inducant ad bene operandum, præcipue verò ad Deum amandum: videlicet obiectiue saltem & remotè. Ex simili fundamento etiā Aureolus in prologo hac quæst. art. 3. docet, Theologiam simpliciter & purè esse practicam.

Secunda est Richardi q. 4. prol. & Gregorij Ariminensis q. 5. a. 4. q. ob similitudinem causā dicunt, magis principaliter, adeoque simpliciter esse practicam; nō satis distinguētes inter se finē operis & operantis; seu finem scientiæ & scientis, vt dicemus.

Tertia est S. Thomæ hic q. 1. a. 4. vbi docet, sicut Dei scientia, qua se & alia cognoscit, simul est practica & speculatiua; ita suo modo etiā esse Theologiā nostrā; magis tamē speculatiuā, quia principalis de Deo & rebus diuinis, quam de actibus humanis tractat. Quā doctrinā Caietanus, Bannes, Zumel, alijq; recētiore Thomistæ hic cit. q. 1. a. 4. ita interpretantur, vt asserant, Theologiam non esse simul formaliter speculatiuam & practicam; eò quod hæc sint differentie essentielles oppositæ, quæ non possunt eidem simplici habitui conuenire formaliter: sed vel formaliter quidem esse speculatiuam, eminenter verò solum practicam, vt dixit Bannes; vel vtrumque simul eminenter solum, vt docuit Zumel, & ferè Caietanus.

Quarta sententiā est, Theologiā respectu diuersarū conclusionum siue noticiarum, partim esse, formaliter speculatiuam; partim formaliter practicam. Ita sentiunt Nominales, & plures alij quos inferius referemus.

Vt hæc controuersia decidatur; Notandū primò, in quo consistat ratio intellectus seu habitus practici & speculatiui. De qua re Aristoteles tractat præcipue in tribus locis, nimirum lib. 6. Eth. cap. 1. & lib. 3. de anima, & lib. 1. & 2. Metaphys. In primo loco distinguit duas animæ intellectiue partes, seu functiones, vnā quæ eiusmodi res contemplatur, quarum principia aliter sese habere non possunt; alteram, quæ ea consideramus, quæ esse aliter possunt; quæque adeo bene aut male fieri à nobis possunt, vt sequenti capite explicat. Similia habet lib. 1. Mag. Moral. cap. 32. Harum autem functionum prior ad intellectum speculatiuum pertinet, posterior ad practicum.

Posteriori loco lib. 3. de anima tex. 46. ait: *speculatiuus intellectus nihil speculatur agibile, neq; dicit de fugiendo & persequendo quicquam.* Et infra text. 49. *Vtraque, inquit, hæc motus sunt secundum locum, intellectus & appetitus. Intellectus autem, (ille scilicet tantum motus est) qui propter aliquid ratiocinatur, & qui actius est: differt autem à speculatiuo sine.*

In tertio loco nimirum lib. 1. Metaphys. cap. 2. ita distinguit duo scientiarum genera; vt ex scientijs quandam dicat esse, *quæ gratia suis ipsius, & propter ipsum scire, aliam, quæ aliorum gratia eligenda sit.* Et infra ait: *Intelligere autem & scire eorum ipsorum gratia, illi præcipue scientiæ inest, quæ eius est, quod maxime scibile est, &c. Maxime autem scibilia,*

inquit, sunt ipsa prima, & causa: propter hæc enim & ex ipsa cetera cognoscuntur; sed non hæc per subiecta. Quia de causa etiam ibidem docet, scientiam illā, quæ sapientiæ nomen mereatur, speculatiuam esse, non practicam, aut factiuam, vt etiam ibidem cap. seq. demonstrat.

Et lib. 2. Metaphys. cap. 1. text. 3. ait: *Rectè autem se habet Philosophiam, scientiam veritatis contemplatiuam appellasse: speculatiuam etenim finis veritas; practica autem opus. Etenim si, quomodo se habent, considerant, non causam per se, sed ad aliquid, & eo in tempore, practice speculantur.*

Ex quibus omnibus colligitur, intellectum, adeoque etiam habitum practicum differre à speculatiuo ratione obiecti, & finis, non extrinseci, sed intrinseci; qui nimirum finis scientiæ dicitur, non scientis: ita vt intellectus siue habitus practicus versetur circa praxin, seu opus aliquod, non quomodolibet (considerando videlicet solum naturam & proprietates eius; quomodo Physicus considerat naturam, auri, humanarumque operationum seu affectionum) sed modo operabili, hoc est, quatenus à nobis bene aut male fieri potest; quo ipso iam suā naturā & intrinsecum sine notitiā illā (quæ idcirco practica dicitur) ad opus referri necesse est.

Quocirca minimè probatur, quod docet Ioannes de Bassolis quæst. 7. prolog. art. 3. & q. 8. art. 2. & indicat Gabriel Vasquez hic disp. 8. num. 23. & seqq. ad notitiam practicam requiri etiam actualem intentionem operis seu relationem ad opus. Neque enim id Aristoteles vnquam docuit, qui finem, quo scientia practica differt à speculatiua, appellauit ipsum obiectum, seu intrinsecum finem scientiæ ab obiecto desumptum, vt notauit etiam Vasquez ibidem. Neque S. Thomas hic quæst. 14. art. 16. dixit, scientiam illam, *si quis edificator consideret, qualiter possit fieri aliqua domus, non ordinans ad finem operationis, sed ad cognoscendum tantum, esse proprie & formaliter speculatiuam scientiam; sed speculatiuam tantum secundū quid; nimirum quantum ad finem; quamuis etiam vocat practicam secundum quid; sed quo modo loquendi non significauit aliud, quam notitiam illā actualem non habere omnino perfectionē notitiæ practice in actu secundum quid; tamen habitu simpliciter practica sit, vt rectè etiam notauit Caietanus ibidem. Quod si relatio actualis ad finem, ad practicam scientiam necessariò requireretur; sæpe daretur scientia siue notitia aliqua, etiam habituum alioqui speculatiuorum, vel practicum, & quidem de obiecto speculabili tantum, aut operabili, quæ simpliciter nec esset practica, nec speculatiua; & rursus eadem sæpe scientia non tantum in diuersis subiectis, sed etiam in eodem, successiue posset esse scientia practica, & non practica, siue speculatiua. Denique non requiri actualem eiusmodi relationem ad notitiam practicam, habet communis Doctorum sententia, quam post Henicum in prin. art. 36. q. 4. Scotum q. 4. prolog. Heruæum quodlib. 1. q. 3. art. 2.*

Ockamum q. 1. r. Gregor. Ariminensem in 1. d. 4. 8. q. 5. a. 2. Marfilium q. 3. art. 3. Gabrielem q. 1. r. art. 2. docent Molina hic a. 4. disp. 2. & Gillius lib. 1. tract. 5. cap. 3.

Notandum secundò, speculatiuum & practicum in proposito dupliciter considerari & accipi posse. Primò, vt ea sit denominatio alicuius habitus totalis, habentis vnum quidem obiectum totale attributionis, sed partialia plura. Qua ratione iuxta receptum Philosophorum loquendi modum in Aristotele locis citatis fundatum, ille habitus simpliciter & absolute dicendus est practicus, non speculatiuus cuius obiectum principale attributionis, siue id quod directe, per se & principaliter in eo tractatur, est praxis; seu actio vel operatio aliqua, qua ratione dirigi possit, qua talis; vel etiam ipsa res aliqua operabilis, prout à nobis bene vel male fieri potest: è contrario vero speculatiuus simpliciter & absolute, non practicus dicendus erit ille habitus, cuius obiectum attributionis totale non est praxis, seu res aliqua operabilis, qua ratione bene aut male fieri potest; sed aliquid aliud, quod vel solum speculabile est; vt est Deus, Angeli, vel si quid etiam operabile est, non consideratur tamen, aut spectatur modo operabili, vt in Physica aurum, triticum, & omnia corporalia animata & inanimata; ipse denique etiam homo, &c. Cuius rei hæc etiam ratio est: quia semper denominatio sumitur à potiori. Ergo rectè totus aliquis habitus vocatur practicus, aut è contrario speculatiuus, cuius obiectum totale attributionis est praxis; aut è contrario vt sic solum speculabile. Secundò verò potest hæc denominatio referri ad singulas notitias alicuius habitus; vt questio nimirum singillatim de singulis notitijs eiusdem habitus instituat, an sint practicae, an speculatiuae. His positis est

3 Assertio I. Theologia simpliciter & absolute loquendo est habitus speculatiuus. Hæc est doctrina S. Thomæ hic q. 1. a. 4. Caietani & Thomistarum ibidem, item Heruæi q. 4. prolog. Cani lib. 12. loc. cap. 2. Gregorij de Valentia q. 1. p. 3. §. 4. Molina q. 1. a. 4. disp. 2. Vasq. d. 9. cap. 3. & communis aliorum. Probatur ex dictis. Quia ille habitus simpliciter & absolute loquendo est speculatiuus, cuius obiectum totale attributionis nõ est operatio, aut quid operabile, sed aliquid mere speculabile: sed obiectum totale attributionis in Theologia, non est operatio, aut quid operabile, sed solum speculabile; nimirum Deus, vt probauimus q. 3. dub. 1. Ergo, &c.

Et confirmatur assertio primò. Quia eadem ratione etiam Physica, & Metaphysica, absolute & simpliciter sunt & dicuntur scientia speculatiua; esto fortè alicuius notitiæ particularis in Physica obiectum, sit etiam praxis; v.g. Aurifactio est hoc vel illo modo & medio possibilis: Metallum eliquatio impeditur circumstantis aeris frigore, promouetur calore: quanquam hæ notitiæ, si modo vere sunt, fortè potius sunt alicuius artis, Physicæ innitentur, v.g. Chymicæ, quam ipsius Physicæ. E contrario verò Logica simpliciter dicitur practica; quia id quod præcipue in Logica tractatur

sunt praxes: esto fortè vna vel altera conclusio habeat obiectum speculabile tantum, aut praxin quidem, sed modo speculabili consideratam; vt quòd demonstratio siue syllogismus demonstratiuus parat scientiam. Confirmatur secundò, quia Theologia est sapientia, vt ex doctrina Aristotelis probauimus supra q. 2. dub. 5. sed sapientia est habitus speculatiuus, ex eodem cit. lib. 1. Metaph. cap. 2. Ergo, &c.

Assertio II. Theologia formaliter, nõ solum eminenter, est speculatiua. Ita S. Thomas hic a. 4. Gregorius de Valentia, Molina, Bannes, Vasquez locis cit. ex comuni, contra Zumel & ferè Caietanum locis cit. Probatur quia ratio, & conditiones ad habitum speculatiuum requisitæ formaliter Theologiæ conueniunt, & non solum eminenter. Quod autem Caietanus hic q. 1. a. 4. dixit, esse speculatiuam formaliter eminenter, obscurum est; & intelligi vix potest, nisi hoc ipsum voluerit significare, formalem rationem speculatiui habitus Theologiæ excellentissime conuenire: qua ratione nobiscum sentit.

4 Assertio III. Si de notitijs seu conclusionibus Theologicis sigillatim loquamur, Theologia secundum aliquas est speculatiua, secundum alias practica, & quidem formaliter. Ita Capreolus q. 2. prolog. art. 1. Ockam q. 4. a. 3. Gabriel q. 1. 2. Gregorius Ariminensis quest. vlt. art. 4. Maior quest. 6. Canus lib. 12. loc. cap. 2. Gregorius de Valentia quest. 1. p. 3. §. 4. Molina qua. 1. art. 4. disp. 2. Vasquez disp. 9. cap. 3. eademque est mens S. Thomæ, hic quest. 1. a. 4. quomodo dicit, esse simul practicam & speculatiuam: & rursum ibidem q. 1. a. 5. vbi dicit, hanc scientiam quantum ad aliquid esse speculatiuam, quantum ad aliquid practicam; quicquid obsistant Bannes, Zumel, & recentiores Thomistæ locis supra citatis.

Probatur. Quia quædam notitiæ Theologiæ versantur circa praxes qua tales, & modo practico, non minus quam Ethica; vt quæ sunt de actionibus humanis, in quantum bene aut male fieri possunt; vt patet in ijs materijs omnibus, in quibus de virtutum officijs, & vitiorum turpitudine; aut de recta sacramentorum susceptione, vel administratione agitur, vt videre est passim in 1. 2. tota 2. 2. & in 3. parte S. Thomæ: quædam versantur circa speculabile tantum obiectum, nimirum circa Deum, Christum, resque diuinas & creatas alias, vt videre est in tota 1. parte, & ex parte in 1. 2. ac passim etiam in 3. parte S. Thomæ.

Assertio IV. Idem specie habitus Theologiæ secundum diuersas conclusiones siue rationes est partim formaliter practicus, partim speculatiuus. Ita Gregorius de Valentia, Molina, Vasquez locis cit. absolute de vno specie habitu loquuntur, siue is sit vna simplex qualitas, vt putant Valentia & Vasquez; siue non, vt existimat Molina: qui proinde eosdem, specie, sed non numero, habitus Theologiæ putat esse simul practicos & speculatiuos. Eandem assertionem indicant etiam Capreolus & Canus loc. cit. & est aperta sententia S. Thomæ hic q. 1. a. 4. & 5. adiuncto simul art. 3.

Contrarium tamen sentiunt Nominales citati,

qui exi-

qui existimantes, practicum & speculatiuum esse differentias essentielles habituum, (quod contra Scotum etiam tradit Aureolus in prol. hac qu. a. 2.) docent, Theologiam esse practicum & speculatiuum secundum diuersos habitus partiales specie distinctos, non secundum eundem specie habitum.

Sed oppositum est verius; nimirum practicum & speculatiuum non esse differentias essentielles habitus, vt etiam sentit S. Thomas hac parte q. 79. a. 11. & Scotus in prol. q. 4. & 5. & fufius profequitur Gillius lib. 1. tract. 5. cap. 7. Ratio est; quia rationes illæ non desumuntur, nec à ratione formali Quæ obiecti totalis, nec à ratione formali obiectiua Quæ siue propter quam ipsius habitus; quandoquidem stante ex parte obiecti totalis alicuius habitus, eadem ratione formali Quæ & Quæ, notitiæ aliqua sunt practicæ, vt dictum, aliæ speculatiuæ; sed desumuntur solû à conditione quadam materialis obiecti; & quidem in nostro proposito, partialis tantum. Quanquam vbi hæc denominatio sumitur à totali obiecto totius alicuius scientiæ, colligi ex ea potest etiam differentia quædam essentialis; præterquam quod habitus practici & speculatiui semper accidentali saltem quadam specie inter se differunt. In quem sensum etiam Aristotelem lib. 3. de anima tex. 53. & 1. Mag. Moral. cap. 32. & 6. Ethicorum cap. 1. vbi docet, practicum & speculatiuum *genere differre*, interpretatur Vasquez cit. disp. 9. n. 8.

5. Assertio V. Eadem tamen notitia seu conclusio Theologica, & de eodem obiecto, non potest, nec eodem, nec diuerso tempore, adeoque nec successiue quidem, esse simpliciter & proprie practica, & speculatiua. Ita Molina loc. cit. post Ockamum a. 2. Gabrielem q. 11. a. 1. Ariminensem q. 5. a. 2. et si contrarium asserat Vasquez disp. 8. n. 26. Probat. Nam si idem habitus circa eandem conclusionem, siue eadem notitia seu conclusio circa idem obiectum, successiue posset esse practica & speculatiua, id fieret ideo, quod ad practicam notitiam requireretur etiam actualis relatio ad opus; quâ proinde, etiam circa vnum & idem obiectum (quæ tamen sit praxis) posita, ipsa notitia practica esset, non posita verò, non practica, sed speculatiua; vt ait Vasquez loc. cit. non enim alia ratio fingi potest, quâ hoc fiat; sed id verè dici nõ potest, vt iam superius in primo notabili contra Bassolem & Vasquium docuimus: Ergo, &c.

Ex quibus iam facile etiam ferri potest iudicium de relatis superius sententijs, quæ doctrinæ S. Thomæ hætenus expositæ aduersantur. Non enim satis attenderunt ad rationem habitus practici & speculatiui, superi⁹ ex Aristotele exposita. Nec n. satis est ad practicam notitiã, vt referatur ex intentione aliqua extrinseca operantis ad praxin, vel etiã vt obiectiue, per modum proponentis obiectum, moueat ad praxin, v.g. ad amandum Deum: sic enim etiam Metaphysica, imò & Physica, quatenus circa Deum & creaturas versantur, essent practicæ; quandoquidem etiam ex naturali cognitione Dei, & creaturarum, homo ad DEVM aliquo modo colendum moueri potest; iuxta Apostolum. Rom. c. 1. v. 20. & 21. & constat certè, Christiani hominis officium vel maximè esse, vt omnè suã cog-

nitionem ad honorè & amorè Dei, in se & alijs promouendû, referat: pari⁹; ferè ratione etiã ipsa visio beatifica esset scientia practica, quia obiectiue mouet ad perennè dilectionem & cultum Dei. Sed requiritur ad notitiã practicã, vt imèdiatè versetur circa praxin, siue rē operabilè, modo operabili, dirigendo videlicet quantum in se est, circa illã, quaten⁹ bene vel male fieri potest, vt superi⁹ dictum. Id verò cum in Theologia à toto genere, & respectu talis obiecti attributionis, non fiat, non potest ipsa aut simpliciter & absolute, aut precipue practica dici, vt probauimus.

DVBIVM IV.

Virum Theologia certitudine aly scientijs & habitibus naturalibus antecellat.

S. Thom. 1. p. q. 1. art. 5.

Quartum Theologiæ attributū, quod hic consideramus, est certitudo; quæ tametsi perfectè quædam sit quippiã absolute, hic tamè vt ei⁹ cognitio sit plenior, respectiue quoque & comparatiue consideratur: cõparatione nimirum facta cum alijs scientijs, seu habitibus naturalibus euidenti⁹: de supernaturalibus enim vix potest esse quæstio. Vt autè res hæc bene explicetur, necesse est, prius diuersas certitudinis rationes habere perspectas: quæ varij variè assignant. Nos omissa certitudine illa, quæ solius obiecti, siue complexi, siue etiã incomplexi, ppria est, & in ipso assensu, vel habitu formaliter nõ reperitur: quæ verius imutabilitas in essendo, vel existendi necessitas, quàm certitudo dicitur; certitudinem formalem in ipso etiã intellectu siue assensu, quæ sola, pprie certitudo dicitur, cū S. Thomas in 2. 2. q. 2. a. 8. duplicè distinguimus.

Prima est certitudo infallibilitatis; quã S. Thomas ibidè vocat *certitudinẽ ex causa*, hoc est, ex ratione assentiendi; seu ex obiecto, non materiali, sed formali Quo, siue ratione formali obiectiua, ppter quã; vt rectè post Durandũ in 3. d. 23. q. 7. nu. 8. Capreolũ q. 1. prol. a. 2. notauit Caietanus in 2. 2. q. 4. a. 8. quæ ideo etiam vocari potest certitudo obiectiua, seu ex parte obiecti; non quod in obiecto duntaxat, & non in ipso etiã subiecto, hoc est, intellectu, seu actu ipsius insit, quemadmodum certitudinẽ obiectiuam accepisse videntur Durandus & Caietanus loc. cit. sicut etiam Molina & Vasquez hic q. 1. a. 5. sed quia & actui cū obiecto complexo quodammodo cõmunis est; & loquendo saltem de creatã scientia, primario & originaliter ex ipso obiecto formali Quo prouenit, vt dictum; & re ipsa nihil aliud est, quam infallibilis veritas, seu ipsa infallibilitas assensus; vnde cunquẽ tandem infallibilitas illa oriatur. Atque hanc certitudinẽ etiã S. Thomas loc. cit. dicit esse potiorem; à qua simpliciter desumenda sit denominatio. Quod supponere videntur etiam alij Doctores; & tradunt cõmuniter Thomistæ ibidem, & sequitur Molina hic q. 1. art. 5. qui certitudinem assensus simpliciter in infallibilitate sitam esse docet.

Altera certitudo formalis, in ipso etiã assensu posita, est subiectiua, siue subiecti, siue ex parte subiecti, vt loquitur etiã S. Thomas 2. 2. q. 4. a. 8. quæ in

quadam

quadam firmitate assensus consistit. Et sic inquit S. Thomas loco cit. dicitur esse certius, quod plenus consequitur intellectus hominis. Et addit: *Per hunc modum, quia ea, quæ sunt fidei, sunt supra intellectum hominis, non autem ea, quæ subsunt sapientia, scientia, & intellectu, ut dicuntur naturales & evidentes habitus, ideo ex hac parte, fides est minus certa.* Sed hæc declaratio S. Thomæ, non totam latitudinem certitudinis ex parte subiecti comprehendit, sed quandam duntaxat eius notio-riorem modum explicat, qui videlicet ex penetratione seu clara noticia obiecti prouenit, licet alioqui etiam aliunde quandoque prouenire possit.

Rectius ergo iuxta communem, & receptum nunc inter Theologos & Philosophos loquendi modum, generatim loquendo, describitur; Firma & constans adhæsiō intellectus, excludens omnem dubitationem, vnde cum tandem firmitas illa proueniat. Vnde etiam à Bonauentura, Alberto, Durando in 3. d. 23. & alijs communiter, rectè dicitur certitudo adhesionis: quæ si obiecto complexo & formali commensurata sit, censenda est vera certitudo, ut docet etiam S. Thomas in 3. d. 23. q. 2. a. 2. & d. 26. q. 2. art. 4. Sin autem præter dignitatem obiecti temerè concepta sit, tum potius dicenda est pertinacia, ex cæcitate aut duritia cordis orta, vel ut loquitur Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 9. *Vana & temeraria fiducia & credulitas*; qualis in hæreticorum falsa fide cernitur.

Ex quibus nunc etiam facile ferri potest iudicium, de varijs modis & partitionibus certitudinis, quas alij assignant. Prima est Durandi in 3. d. 33. quæst. 7. num. 8. Caietani in 2. 2. q. 4. art. 8. qui duplicem certitudinem distinguunt, obiectiuam & formalem, seu quod apud ipsos idem est, obiecti & assensus. Sed præterquam quod ipsi met fatentur, certitudinem eam obiecti non nisi improprie sic dici, distinctio hæc parum ad propositum facit, vbi de sola certitudine formali ipsius assensus disputamus, ut initio dictum.

Secundò alij, in quibus Bannes, & Molina hic quæst. 1. artic. 5. Albertinus tom. 1. princip. 3. corollar. 1. distinguunt triplicem certitudinem: primam vocant obiecti, seu ex parte obiecti; secundam formalem & ex parte actus: tertiam ex parte subiecti: in quibus tamen explicandis, & ad institutum applicandis rursus variant. Re ipsa autem à nostra diuisione non differunt, quia præter duos modos certitudinis formalis à nobis assignatos, adnumerant etiam vel certitudinem solum obiecti, quam Durandus & Caietanus obiectiuam vocarunt, ut dictum, vel si qui de certitudine formali assensus loquuti sunt, verè certitudini vtrique, infallibilitatis, & adhesionis, à nobis assignatæ, adiunxerunt etiam tertiam, vanæ & temerariæ credulitatis, quæ non est vera certitudo, ut dictum.

Tertiò Gabriel Vasquez hic quæst. 1. artic. 5. longe aliter triplicem certitudinem in hunc modum distinguit. Primam dicit esse determinationem ad vnam partem contradictionis, siue dubitationis: qua quidem descriptione videtur intelligere eam, quam alij dicunt certitudinem ex parte subiecti, siue adhesionis. Secundam vocat ipsam veritatem cognitionis, desumptam ex conuenientia intellectus

cum re: sed quæ rectius veritas assensus, quam certitudo dicitur. Tertiam dicit esse actum reflexum, quo quis iudicat, nullo modo se falli posse, in eo quod cogitat. Sed hic certitudinis modus, præterquam quod in ipso assensu directo, de cuius certitudine loquimur, non inest, cum sit actus quidam nouus & reflexus, ab actu directo distinctus; sanè ab hoc auctore primum excogitatus fuisse videtur; idque necessitate quadam, quod non posset alia ratione singularem illam ac propriam Theologiæ certitudinem tueri, ut videbimus. Accedit, quod in ea diuisione prætermittitur certitudo infallibilitatis, ex causa & ratione assentiendi desumpta, quæ tamen, ut ex 1. Moral. dictum, præcipua est, & quam etiam iudicium illud reflexum supponit, ex eaque oritur: aut si inde non oriatur, est potius vana credulitas, quam verus certitudinis modus, ut magis inferius patebit.

His positis, procedit quæstio præsens de Theologia nostra, secundum proprium officium spectata, prout nimirum vel ex duabus præmissis reuelatis, aut ex vna reuelata, & altera euidenti, per euidenter consequentiam colligit conclusionem, de qua quæstione variæ sunt Doctorum sententiæ. Prima est, Theologiæ habitum & assensum, nec certitudinem ex parte obiecti, seu infallibilitatis, nec certitudinem adhesionis, seu ex parte subiecti, certio-riorem esse alijs habitibus naturalibus euidenti-ibus; sed duntaxat certitudinem illa actus reflexi, superius commemoratâ. Ita Vasquez hic cit. quæst. 1. artic. 5. qui hoc ex consequenti necessariò debuit asserere, propterea, quod iam ante docuerat, Theologiam non esse nisi habitum opinatiuum, adeoque nitentem principijs reuelatis, non ut creditis fide diuina, sed humana tantum, ut dictum supra, quæst. 2. dub. 2. Qua ratione, cum sola illa certitudo actus reflexi (si per se spectetur, & certitudine infallibilitatis non sustentetur) ficta potius, quam vera certitudo videatur, utpote etiam temerariæ fidei, & credulitati hæreticorum communis, planè fatendum esset (quod ibidem etiam non obscure insinuare videtur Vasquez) Theologiam quoad certitudinem, simpliciter cedere omnibus habitibus naturalibus euidenti-ibus, quales sunt scientia, sapientiâ, & intellectus: quod tamen est expressè contra S. Thomam hic, q. 1. art. 5. & communem, ut dicitur.

Secunda sententia est eorum, qui distinguunt inter assensum Theologicum, ex duabus præmissis reuelatis euidenter deductum, & alium ex vna præmissa reuelata, & altera euidente deductum. Illum enim aiunt esse simpliciter certio-riorem, quolibet assensu naturali; hunc verò certio-riorem non esse, quam sit altera præmissa euidens; eo quod conclusio, tam quoad certitudinem, quam quoad euidenti-iam sequatur partem deterio-riorem: qui proinde videntur, tam de certitudine infallibilitatis, quam adhesionis loqui. Ita Andreas Vega lib. 9. in Concil. Tridentinâ, cap. 39. Zumel hic quæst. 1. artic. 5. corrigens quandam respon-sonem datam iuxta tertiam sententiam, mox referendam, pro qua citatur ab Albertino infra. Verba Zumelij sunt: *Conclusio Theologica ihata ex maiore euidente non est certior alijs scientijs, aut ipsa maiore euidenti; ne*

habet certitudinem supernaturalem: secus si ex vtraque reuelata inferatur. Eandem sententiam indicat Molina hic quæst. 1. artic. 2. disput. 1. vbi simpliciter ait, in discursu Theologico, ex altera præmissa euidente, conclusionem sequi deteriorem partem præmissarum, quoad effectus, qui ab vtraque præmissa dependent; *ut sunt, inquit, certitudo & euidentia, non autem supernaturalis actus;* de qua re supra quæst. 2. dub. 2. vbi plane videtur significare, conclusionem talem non esse certiozem præmissa euidenti. Idem tamen hic artic. 5. absolute docet, Theologiam esse certiozem certitudine infallibilitatis, omnibus scientijs naturalibus; vt fortè in præcedenti loco, iuxta sensum tertiæ sententiæ explicari possit.

4 Tertia sententia est, assensum conclusionis Theologicæ, in vtroque illo discursu, adeoque vniuersum, certiozem esse, quolibet assensu merè naturali, saltem certitudine illa infallibilitatis; si non etiam adhesionis. Ita S. Thomas hic cit. quæst. 1. artic. 5. vbi simpliciter docet, hanc scientiam superare alias scientias, quoad certitudinem: *quia, inquit, alia scientia certitudinem habens ex naturali lumine rationis humana, qua potest errare; hac autem certitudinem habet ex lumine diuinæ scientiæ, qua decipi non potest.* Quamquam in responsione ad primum significat, esse minus certam, quoad nos, seu certitudine adhesionis; quod inferius declarabitur. Eiusdem sententiæ est Aureolus quæst. 1. prolog. artic. 2. vbi docet, non solum ex duabus præmissis reuelatis, sed etiam ex vna reuelata, & altera euidente, sequi conclusionem & assensum de fide. Eandem sententiam tradit etiam Gregorius de Valentia hic quæst. 1. punct. 4. & 2. 2. disput. 1. quæst. 1. punct. 2. vbi ait: *assensum Theologicum esse perfectiorem in certitudine, quam sit assensus præmissæ euidentis naturaliter; etsi minus certus, quam assensus fidei.*

Idem videtur sentire Bannes hic, quæst. 1. artic. 5. & Albertinus tom. 1. princip. 3. corollar. 2. qui cum numer. 12. dixisset, conclusionem Theologicam, ex parte subiecti, iuxta sententiam S. Thomæ superius relatam, esse minus certam, quam sit præmissa naturalis, vel consequentia naturalis; tamen ibidem numero 15. absolute, & ex parte assensus, sentit esse certiozem. In quem sensum etiam ibidem numero 20. dicit 1. conclusionem Theologicam ex ratione sua obiectiua, habere certitudinem diuersæ & altioris rationis, quam sit præmissa naturalis. 2. sequi tamen secundum quid debilitatem suæ præmissæ naturalis. 3. rursus tamen ex pio affectu, conclusionem Theologicam, certiozem esse præmissæ naturali euidente. Eandem sententiam approbat Vasquez loco citato, si supponatur, Theologiam nisi principijs reuelatis, vt creditis supernaturali fide. Eidem sententiæ fauent Alensis 3. p. quæst. 68. membr. 9. art. 1. Scotus in 2. d. 24. quæst. vnic. Petrus de Alliaco, quæst. vn. prolog. art. 3. Canus lib. 12. loc. cap. 2. & Caietanus hic quæst. 1. art. 5. qui absolute docent, conclusionem Theologicam esse certiozem assensibus naturalibus, saltem secundum se, vt limitat Caietanus, etsi non nobis.

Nos supposita distinctione, inter Theologiam.

simpliciter dictam, siue supernaturalem, & inter opinatiuam, seu naturalem, iuxta dicta superius q. 2. dub. 2. & q. 3. dub. 2. & hac quæstione dub. 1. ad propositam quæstionem sequentibus assertionibus respondemus.

5 Assertio I. Theologiæ simpliciter dictæ siue supernaturalis, habitus, seu assensus qualiscunque, siue ex vtraque præmissa reuelata, siue ex vna reuelata & altera euidente, certitudine ex parte obiecti, seu infallibilitatis, superat omnes habitus & assensus naturales, quantumuis euidentes. Est sententia S. Thomæ hic quæst. 1. artic. 5. & communior Doctorum, vt vidimus in recitatione secundæ & tertiæ sententiæ. Probatur optimè ratione S. Thomæ ibidem, quia vbi ratio assentiendi obiectiua est certior & infallibilior, illic etiam assensum necesse est esse certiozem, ex parte obiecti, seu certitudine infallibilitatis: sed assensus Theologiæ simpliciter dictæ, siue supernaturalis, habent rationem assentiendi obiectiuam certiozem & infallibiliorem, quam habent vlli assensus naturales; videlicet lumen ipsum diuinæ reuelationis, seu assensum supernaturalis fidei, nitentis lumine diuinæ reuelationis, cui non potest vlllo modo subesse fallum: quæque adeo certitudine infallibilitatis longè superat lumen rationis naturalis, omnemque habitus naturales, vt in materia de fide suo loco ex instituto docetur. Ergo, &c. Maior constat ex dictis initio huius dubij, de varijs certitudinis modis. Minorem probauimus supra quæst. 3. dub. 2. vbi ostendimus, rationem formalem obiectiuam veri assensus Theologici, in vtroque discursu, siue constante ex duabus præmissis reuelatis, siue ex vna, reuelata, & altera naturaliter euidente, esse merè supernaturalem, quæ vltimatè resoluatur in ipsam diuinam reuelationem, seu primam Dei reuelantis veritatem. Ex qua ratione necessario etiam efficitur, certitudine formali infallibilitatis, non minus certam esse conclusionem Theologicam, ex vna reuelata & altera euidente, quam ex duabus præmissis reuelatis illatam, vt sentit etiam Aureolus loco citato; etsi Gregorius de Valentia, Bannes, & Albertinus locis citatis contrarium sentiant. Idemque dicendum de certitudine adhesionis, iuxta ea, quæ circa sequentem assertionem dicentur.

Quod si tamen etiam concederemus, alteram præmissam euidentem, in posteriori discursu, pertinere ad rationem formalem obiectiuam Theologiæ, adhuc tamen rectè defendi posset, assensum conclusionis Theologicæ esse certiozem, quam solius præmissæ euidentis, aliarumque veritatum euidentium, quandoquidem ratio assentiendi saltem inadequata adhuc esset supernaturalis, quæ proinde vna cum naturali perfectiorem assentiendi rationem adæquatam constitueret, quam si solum & adæquate naturalis esset. Causa enim totalis, ex pluribus partialibus conflata, eò perfectior est, quo singulæ causæ partiales sunt perfectiores; ita vt si vel ex omnibus istis, vna duntaxat sit perfectior, cæteris paribus, etiam perfectior causa totalis inde constituatur. Etiam si igitur concederemus, ad assensum conclusionis Theologicæ, concurrere vtramque illam præmissam, tanquam ad-

æquatum principium, nihilominus certior erit ille assensus, ex parte obiecti, cuius principium adæquate sumptum, plus habet certitudinis ac infallibilitatis. Vti quidem in proposito habet; vbi ad assensum conclusionis concurrat etiam altera præmissa supernaturalis: qui assensus proinde, ob hoc ipsum, non potest non habere maiorem certitudinem, quam si ex vtraque naturaliter nota deduceretur: esto interim iuxta hanc sententiam minus certitudinis habeat, quam si ex vtraque reuelata procederet, vti asserunt Gregorius de Valentia, Bannes, & Albertinus loc. cit.

Et confirmatur assertio ex illo 2. Pet. i. v. 18. *Habemus firmiorem Propheticum sermonem.* Vbi tamen si quidem de scriptura sacra Christi diuinitatem contestante sermo sit, recte tamen id vniuersim etiam accipitur, de omni sermone diuinitus reuelato; & ex consequenti etiam de sermone virtualiter à Deo reuelato, vti sunt conclusiones Theologicæ ex dictis quæst. 3. dub. 2.

Nec obstat commune illud pronuntiatum, Conclusio sequitur partem deteriorem. Id enim quoad euidenciam quidem simpliciter verum habet; quoad certitudinem verò hoc sensu: non vt conclusio nunquam habeat maiorem certitudinem, quam altera præmissarum, quæ incertior est; sed vel quia certè etiam eam aliquo modo sequitur & imitatur, contrahendo videlicet inde maiorem quidem aliquam certitudinis gradum, quam si vtraque præmissa esset reuelata, sed maiorem tamen, quam si vtraque præmissa esset naturalis, vti docent Gregorius de Valentia, Bannes, & Albertinus, qui sentiunt, ipsam quoque præmissam naturalem, in eo discursu, esse rationem assentiendi partialem: vel iuxta nostram sententiam, qui oppositum docuimus, quia conclusio illa, quatenus colligitur per syllogismum, nec habet euidenciam præmissæ naturalis, nec etiam vt sic creditur fide diuina, adeoque non habet æqualem certitudinem, cum ipsa fidei certitudine, vt rectè notauit Vasquez loc. cit. ex mente tertiæ sententiæ superioris relatione sequimur. Accedit, quod etiam quoad supernaturalitatem actus, assensus conclusionis in proposito minime sequitur partem deteriorem, vt rectè etiam docuerunt Aureolus, & Molina locis citatis, & supra quæst. 3. dub. 2. diximus Conclusionis enim assensus est supernaturalis, sicut & assensus alterius præmissæ supernaturalis; cum tamen assensus alterius præmissæ naturalis euidencis, solum sit naturalis.

6 Assertio II. Eiusdem Theologiæ assensus quicunque, siue nimirum ex præmissis duabus reuelatis, siue ex vna reuelata, & altera euidente, quoad certitudinem adhesionis, siue ex parte subiecti, cedunt quidem secundum quid assensibus naturalibus euidencibus; attamen ipsidem nihilominus simpliciter sunt superiores. Primam partem expressè tradit S. Thomas hic q. 1. a. 5. Caietanus & omnes Thomistæ ibidem, & communis Doctorum, vt vidimus, idemque in simili de ipsius etiam fidei assensu docetur suo loco in 2. 2. q. 4. a. 8. cum eodem S. Thoma ibidè. Probatur. Quia vt superius dictum, certitudo illa adhesionis, seu ex parte subiecti, consistit in quadam firmitate & immobilitate assensus: atqui firmitas & immobilitas aliquo modo assentimur, veritatibus eu-

dentibus, quam veritatibus fidei aut Theologiæ: Illi enim nullo modo dissentire possumus, nec de ijs dubitare, stante apprehensione seu terminorum, seu earum rationum, quibus ad talem assensum inducti sumus; siquidem in hac ipsa immobilitate consistit earum euidencia: his verò simpliciter & absolute possumus dissentire, & de illis dubitare, etiam stante apprehensione terminorum, seu rationum, quibus ad talem fidei aut Theologiæ assensum inducti sumus, hoc ipso, quod veritates illæ non sunt euidentes, vt constat: Ergo fatendum est Theologiæ, vti & fidei assensus, quoad certitudinem adhesionis, saltem secundum quid cedere assensibus euidencibus.

Secunda pars traditur ab Aureolo cit. quæst. 1. prolog. art. 2. vbi ait: *Quia ergo propositio, quæ tenetur ex fide, claudicat quantum ad euidenciam, licet sit perfectior, quantum ad adhesionem (siue adhesionem): propositio verò necessaria perfectior est, quantum ad euidenciam, etsi non quantum ad adhesionem, quia immobilius adherendum est ijs, quæ tenentur per fidem, quam ijs, quæ cognoscuntur scientificè, vt in Martyribus patet; ideo conclusa propositio (Theologica ex vna reuelata, & altera euidente) tenebitur lumine fidei enigmatico & obscuro, sicut articulus.* Vbi expressè docet, vtramque veritatem tam fidei, quam Theologiæ, etiam deductam ex vna reuelata & altera euidente, esse perfectiorem, adeoque certior, quoad adhesionem siue adhesionem, quauis veritate seu propositione naturaliter euidente. Eandem assertionis partem expressè etiam tradit Henricus Gandauensis in sum. art. 7. quæst. 2. Idem videtur ex mente Gregorij de Valentia, Albertini loc. cit. & aliorum, qui simpliciter & sine exceptione docent, Theologiam esse certior alijs scientijs.

7 Probatur. Quia firmitas adhesionis non tantum spectari debet, ex absoluta immobilitate assensus, seu necessitate retinendi assensum ob euidenciam obiecti, sed etiam tum ex lumine & habitu, quo assentimur, tum ex infallibilitate rationis obiecti, non finitibus nos, quantum in se est, dissentire vel dubitare; tum ex facultate potentissima non dissentendi; tum ex natura & perfectione ipsius assensus; tum denique ex motione pia voluntatis & affectionis, qua quis iure velit & paratus sit, si opus foret, potius aliam quamlibet, quam hanc veritatem seu notitiam deserere. In quem sensum etiam S. Thomas in 3. dist. 23. quæst. 2. artic. 2. quæstionc. 3. & de verit. quæst. 14. artic. 1. ait, *quod quanto est fortius, quod determinationem causat, tanto est maior certitudo; nempe etiam quoad determinationem intellectus, seu certitudinem adhesionis.* Iam verò assensus fidei & Theologiæ omnibus his rationibus est immobilior & firmitior.

Primò enim stante habitu fidei & Theologiæ, non possumus vlla ratione formaliter dissentire veritatibus fidei & Theologiæ, aut de ipsidem, qua tales, dubitare: statim enim eo ipso habitus illi amittuntur, vt dictum supra hac quæst. dub. 1. cum tamen erroribus contrarijs non statim perdantur habitus alij naturales. Secundo ratio obiectiua Theologiæ, cum multò infallibilior sit, quam ratio assensus euidencis naturalis, quantum in se est, non finit nos vllò modo dubitare; vtpote cui falsum nulla ratione subesse potest: cum tamen lumen naturale,

ex suo genere, cui utique subesse falsum potest, non ita planè vniuersim omnem omnino dubitandi facultatem auferat; quin etiam subinde in rebus & assensibus euidentibus, metaphysicam saltem dubitandi, vel contrarium suspicandi, potentiam relinquat: vti in veteribus illis Philosophis Academicis & Scepticis accidebat, qui propterea ab omni re assensum cohibebant; & illud solum se scire profitebantur, quod nihil scirent.

Tertiò, fidei & Theologiæ lumen (siue habitum & auxilia gratiæ, siue rationem obiectiuam intelligas) ex se præstat facultatem, multò altioris ordinis, non dissecandi, videlicet supernaturalem: quam vltimum lumen naturale, quantumuis euidentis. Quartò ipsa etiam certitudo vtriusque habitus secundum se, hoc ipso quod supernaturalis est, perfectior & excellentior est. Quintò, fidelis quisque secundum rectam rationem ita constitutus est, & verò esse debet, vt pia voluntatis motione & affectione, paratus sit potius, omnes veritates naturales abnegare, quam vnã veritatem fidei, aut conclusionis Theologiæ, qua talem, vt optimè etiam notauit Aureolus loco cit. & satis patet exemplo Martyrum, qui pro fide vitam posuerunt; cum pro veritate naturali forte nec pilum perdere vellent. Dixi verò qua talem; quia materialiter in his sæpè contingit errare; cum videlicet needum constat, aut constare potest, esse talem veritatem; nimirum fidei, aut Theologiæ: quod ad rem nihil facit. Supponimus enim vtrinque, vt veritates naturales, ita & has sufficienter propositas.

Coconfirmatur eadem assertio, ex SS. Patribus, qui non obscurè subinde assensibus fidei, seu diuina reuelatione nixis, multo maiorem assensus firmitatem tribuunt, quam naturalibus scientijs, ex quibus S. Basilus in Psalm. 115. *Fides, inquit, suprarationales methodos animum ad assensum trahens.* Et Chrysostomus homil. 13. in Epist. ad Hebræos: *Fides dici non potest, nisi cum circa ea, quæ non videntur, amplius, quam circa ea, quæ videntur, certitudinem quis habuerit.*

8 Assertio III. Theologiæ opinatiuæ & naturalis habitus, siue assensus, etiam ex duabus præmissis reuelatis, aut vna reuelata & altera euidenti, quoad certitudinem simpliciter inferior est habitibus & assensibus naturalibus euidentibus. Colligitur ex S. Thoma cit. 2. quæst. 4. artic. 8. & est communis Doctorum, qui talis Theologiæ mentionem faciunt, eamque agnoscunt. Et probatur, ac declaratur ex dictis. Quia cum sint duo quidam formalis certitudinis modi, nimirum certitudo ex causa, siue ratione formali obiectiua, quam infallibilitatis diximus, & certitudo adhesionis; harum tamen prior est præstantior, ex qua etiam simpliciter fieri debet denominatio, vt ex S. Thoma ibidem superius diximus. Iam vero certitudine illa ex ratione formali obiectiua, Theologiæ opinatiuæ habitus, & assensus, multò inferior est habitibus & assensibus euidentibus.

Quod ex dictis supra quæst. 3. dubit. 2. & hac quæst. dub. 1. ita probatur. Quia ratio formalis obiectiua, propter quam, Theologiæ opinatiuæ, formaliter minime est supernaturalis; sed merè naturalis, eademque ex se admodum infirma; nimirum

fides humana veritatum diuinitus reuelatarum; quæ vti patet, multum cedit rationi formali assensus naturalis euidentis: Cuius ratio obiectiua sunt, aut principia naturalia euidentia; aut ipsa perspicuitas naturalis veritatis; suppositis terminis. Cum ergo Theologia opinatiua certitudine infallibilitatis, desumpta ex ratione formali obiectiua, cedat habitibus naturalibus euidentibus; consequens est, eam simpliciter loquendo minus certam esse, quam sunt habitus naturales euidentes; quidquid sit interim de certitudine adhesionis.

Deinde verò etiam si de certitudine adhesionis sigillatim loquamur, adhuc tamen fatendum est, eandem Theologiam opinatiuam cedere quoad hoc habitibus naturalibus. Non solum quia S. Thomas hic quæst. 1. artic. 5. ita etiam de Theologia simpliciter dicta, loqui videtur, ob maiorem quandam firmitatem & immobilitatem assensus naturalis euidentis, ex ipsa euidentia ortam, vt superius dictum; sed etiam, quia in assensu Theologiæ opinatiuæ cessant illæ rationes, ob quas antea diximus, Theologiam simpliciter dictam certitudine etiam adhesionis, antecellere naturalibus habitibus euidentibus.

Nam 1. Theologiæ opinatiuæ habitui non ita repugnat error aut dissensus contrarius, sicuti de fide & Theologia simpliciter dicta diximus. Quandoquidem cum habitu Theologiæ opinatiuæ stare etiam potest hæresis, vt dictum supra quæst. 2. dub. 2. Item 2. ratio formalis obiectiua inferior, & incertior est, quam habitus naturalis euidentis, vt antea dictum. 3. Lumen quoque ipsius Theologiæ opinatiuæ, cum sit merè naturale, & quidem infirmum, non præstat ex se maiorem aut superiorem facultatem non dissentienti, quam lumen naturalium habituum euidentium, sed multò minore, ob suam imbecillitatem. 4. Certitudo etiam ipsius habitus opinatiui merè naturalis est. In quinto solummodo puncto videtur esse par ratio Theologiæ opinatiuæ & supernaturalis. Quia ex pia motione voluntatis, non secus ac de Theologia supernaturali diximus, paratus esse debet fidelis quisque, ad abnegandas potius omnes veritates naturales, quam veritatem assensus opinatiui fidei, aut Theologiæ.

9 Sed reuera etiam quoad hoc, est dispar ratio Theologiæ opinatiuæ, & supernaturalis. Quia pia illa animi dispositio atque etiam obligatio mentis, non provenit ex ipso, per se, assensu opinatiuo, eiusque ratione formali obiectiua, quasi ipsi per se, & secundum se, talis animi constantia debita sit; sed tum ex ratione formali obiectiua Theologiæ supernaturalis, quæ non sinit nos vllò modo huic veritati dissentire; cuique adeo etiam, non minus, imò multò magis, quam Theologiæ opinatiuæ repugnat abnegatio eiusdem veritatis; tum ex conditione quadam materialis obiecti, seu veritatis, cui per assensum Theologiæ opinatiuæ assentimur, quæ ex hypothesi diuinitus reuelata est: quam proinde abnegare nullo modo licet: cum tamen interim ea ratio diuinæ reuelationis, per assensum Theologiæ naturalis formaliter non attingatur; nec omnino eidem habitui Theologiæ opinatiuæ

tiare repugnet, etiam obiecto falso, adeoque minime revelato assentiri.

Vnde etiam confirmatur assertio Quia ille habitus, viroque modo certitudinis, cedit habitibus naturalibus evidentibus, cui simpliciter & absolute potest subesse falsum: Sed habitui Theologiae opinativae, simpliciter & absolute potest subesse falsum, ut antea dictum. Theologus enim Catholicus, si in haeresin incidat, retinet eundem habitum Theologiae opinativae, eodemque illo, ac sub eadem ratione formali, humanae scilicet fidei assentitur nunc etiam errori haeretico, per quem & antea oppositum credebat, & nunc etiam credit ceteris veritatibus fidei & Theologiae, quas non negat. Et ratio est; quia conditio materialis obiecti non variat habitum: Cum ergo revelatio divina tantum sit conditio materialis obiecti, respectu Theologiae opinativae, quae per ipsam habitum formaliter non attingitur; hinc fit, ut siue ea obiectum eiusdem habitus verè assiciat, ut in veritatibus fidei & Theologiae supernaturalis accidit, siue non, minime tamen ideo ratio habitus Theologiae opinativae varietur.

10 Ex quo denique evidenter apparet, verum esse, quod superius contra Vasquezium diximus, assensum siue habitum Theologiae nostrae, ex eius quidem sententia, simpliciter esse minus certum, quam sint habitus naturales evidentes; quandoquidem ille aliam Theologiam non agnoscit, quam opinativam, ut vidimus.

Ex quibus etiam solvitur obiectio, qua contra praesentem assertionem, & rationem primam, pro eadem allatam, probare aliquis posset, Theologiam opinativam certiorē esse, certitudine infallibilitatis, alijs habitibus naturalibus evidentibus, ex eo, quia eius obiecto materiali (quod est veritas fidei) ex hypothese subesse falsum nulla ratione potest. Nam ut initio etiam huius dubitationis dictum, certitudo infallibilitatis alicuius habitus, non sumitur, nec potest sumi ex materiali obiecto, sed formali Quo, seu ratione formali obiectiva. Alioqui si ex materiali obiecto sumeretur, fieri posset, ut idem habitus, respectu diversorum, actuum circa materialia obiecta diversa, partim esset certissimus certitudine infallibilitatis, partim incertissimus. Quia ergo per accidens est Theologiae opinativae, aut certe utrumque perinde, siue pro obiecto habere veritatem fidei, aut errorem haeretico, non potest ipsa certitudine infallibilitatis dici superior habitibus naturalibus evidentibus.

Quae ipsissima etiam causa est, cur certitudo illa actus reflexi, quam Theologiae huic Vasquez tribuit, reuera proprie ac re ipsa nulla sit certitudo; cum possit promiscue Theologiae eidem opinativae, tam circa veritates fidei, quam circa errores fidei oppositos convenire, quandoquidem utrinque iudicata assentiens, se in eo, quod cogitat, falli non posse; cum tamen ut per accidens in illis non fallitur, ita in his re ipsa turpissime fallatur, & quidem per eundem habitum Theologiae opinativae, ut dictum. Univerfim igitur loquendo, sicut ex pia motione voluntatis, non adhaerendum firmitus est omni obiecto, aut etiam veritati Theologiae opinativae (ut

si nimirum, aut obiectum illud complexum falsum sit, aut nullo modo diuinitus revelatum) ita etiam verum non est, univesim obiecto eius, seu formali, seu materiali falsum subesse non posse; etsi alicui quidem obiecto eius materiali complexo, per accidens subesse falsum non possit; quia est diuinitus revelatum, adeoque simul etiam obiectum fidei, aut Theologiae super naturalis; quod, ut dixi, Theologiae opinativae per accidens est.

DUBIVM V.

Utrum Theologia simpliciter praestet dignitate omnibus alijs scientijs & disciplinis.

S. Thom. I. p. q. i. a. 5.

NON instituitur comparatio Theologiae cum fide, aut virtutibus, seu donis supernaturalibus, in intellectu positis. Constat enim satis, Theologiam his omnibus esse inferiorem. Fide quidem. Tum quia haec immediate nititur revelatione divina; Theologia verò solum mediate. Tum quia fides ob eandem causam, habet se veluti habitus principiorum respectu Theologiae: Est autem habitus principiorum praestantior, habitu conclusionum, quae inde deducuntur. Alijs vero habitibus supernaturalibus in intellectu positis, ut est donum sapientiae, donum intellectus, donum scientiae, donum consilij, item virtus infusa prudentiae, dignitate cedere Theologiam, ex eo videtur probari; tum quia prudentia infusa, & quatuor illa dona Spiritus sancti, veluti individui comites charitatis, propria sunt munera & ornamenta filiorum Dei, ob eamque etiam causam, ipsam quoque fidem supernaturalem, ex ea parte superant; ut suo loco in 1. 2. docetur cum S. Thoma quaest. 65. artic. 2. & quaest. 68. artic. 5. esto alioquin simpliciter cedant virtutibus quibusvis Theologicis, iuxta S. Thomam ibidem artic. 8. Tum quia habitus illi supernaturales & infusi magis immediate & intrinsece conferunt ad supernaturalem beatitudinem hominis. Tum quia immediatius etiam nituntur lumine vel ratione supernaturali Spiritus sancti, ut suo loco docetur.

Neque etiam de arte, vel prudentia acquisita sermo est: quia & illa constat, Theologiam omnibus modis superiorem esse; tum ratione obiecti & certitudinis; tum ratione finis. Quod pariter etiam de prudentia, ut est virtus acquisita, dici potest: Praeterquam quod ratione formali obiectiva Theologia utriusque longè excellit, ut à potiore ex sequentibus patebit. De alijs ergo solum habitibus & disciplinis naturalibus siue acquisitis est quaestio, quales sunt intellectus, siue habitus principiorum naturalium, sapientia, siue Metaphysica, & scientia, cum omnibus suis speciebus, in quibus sunt praecipuae, quae sub Philosophiae nomine comprehenduntur, ut sunt praeter Metaphysicam, quam sapientiae nomine in-

signiuit Aristoteles, Mathematica, Ethica, Physica, &c. His addere possumus etiam Iurium vtriusque tam Canonici, quam ciuilibus prudentiam, quibus omnibus Theologiam nostram, non opinatiuam illam, quæ solummodo secundum quid talis est, sed eam, quæ simpliciter talis est & dicitur, conferemus, iuxta dicta superius q. 2. dub. 2. & hac quæst. dub. præced.

2 Assertio I. Theologia simpliciter dignior est omnibus habitibus naturalibus euidentibus, adeoque & scientijs Philosophicis quibuscunque, siue speculatiuis, siue practicis. Hæc est expressa doctrina S. Thomæ hic quæst. 1. art. 5. vbi ex instituto docet, hanc scientiam omnes alias transcendere, tam speculatiuas, quam practicas. Eademque est consensus doctrina omnium Doctorum & Scholasticorum: quæ optimè etiam probatur discursu S. Thomæ, quem ita explicamus. Scientiarum enim dignitas, vniuersim ex tribus capitibus desumitur. Primo ex præstantia obiecti Quod, tam incomplexi, quod est subiectum attributionis, vna cum sua ratione formali Quæ; quam complexi, quam S. Thomas hic vocat materiam: Secundo ex ratione formali obiectiua Qua, adeoque etiam certitudine; Tertio ex fine. Etenim quod ad subiectum attinet & materiam, est hæc certa & aperta Philosophorum omnium doctrina, dignitatem scientiarum ab eius nobilitate plurimum dependere. Ita enim docet Arist. lib. 6. Metaphysicorum cap. 1. text. 2. vbi de Metaphysica, quam Theologiam vocat, loquens ait: *Manifestum est enim, quod sibi diuinum existit, in tali natura existit, & honorabilissimam (scientiarum) oportet circa honorabilissimum genus (subiectum incomplexum ipse intelligit) esse, speculatiua itaq; alijs scientijs præponenda sunt; hæc vero (Metaphysica) speculatiua.*

Et lib. 11. Metaph. cap. 6. in eundem sensum dicit: *Pater igitur tria genera speculatiuarum esse scientiarum, Naturalem, Mathematicam, Theologiam, optimum quidem speculatiuarum scientiarum genus; harum vero ipsarum ea, quæ ultimo dicta est. Circa namq; honorabilissimum entium est; vnaqueq; verò melior aut deterior dicitur secundum proprium scibile. Quo vtroque loco aperte Philosophus docet, Metaphysicam cæteris disciplinis naturalibus dignitate antecellere, quod nobilissimum obiectum, siue subiectum consideret; & cuiusque disciplinæ siue scientiæ dignitas potissimum, imò absolute ex obiecti dignitate æstimanda sit.*

In eandem sententiam etiam lib. 1. de partibus animalium cap. 5. cum dixisset, vtrumque rerum studium, tam substantiarum, quæ ingeneratæ & immortales sunt, quam quæ ortus & interitus participes, nos delectare, subiungit: Res namq; illas superiores, tamen leuiter attingere possumus, tamen ob eius cognoscendi generis (siue obiecti) excellentiam, amplius oblectamur, quam cum hæc iuncta nobis omnia tenemus.

3 Similiter verò quod ad certitudinem, adeoque rationem formalem obiectiuam attinet, expressè etiam docet Aristoteles, ab ea pendere aliquo modo dignitatem scientiæ. Sic enim loquitur lib. 1. de anima, cap. 1. text. 1. *Bonorum & honorabilium notitiam opinantes, magis autem alteram altera, aut secundam cer-*

titudinem; aut ex eo, quod & meliorum & mirabiliorum est. Hoc est: cognitionem rem quidem bonam & honorabilem censemus: vnam tamen magis, quam alteram; siue quia certior est: siue quod de obiecto meliori & mirabili.

Tertio ad finem quod attinet, docet idem Aristoteles, eam esse præstantiorem, quæ sui ipsius causa, & propter ipsum scire, quam quæ alterius rei causa, nisi propter opus expetitur; qua de causa scientias speculatiuas præfert practicis; & in practicis illas, quæ versantur circa finem altiorem. In hunc sensum scribit Arist. lib. 1. Metaph. cap. 2. *Scientiarum quoque illam, quæ gratia sui ipsius, & propter ipsum scire, quam illam, quæ aliorum gratia eligenda sit, magis sapientiam (adeoque præstantiorem) esse. Ex principaliorem, quam si subministrantem, potius sapientiam esse; non enim ut sapienti præcipiatur, sed ut ille præcipiat: Nec vile ab altero; sed ut ab omnibus sapienti suadeatur decet. Similia de præstantia scientiæ speculatiuæ habet 8. Ethic. cap. vii. & 10. Ethic. cap. 7. & cit. lib. 11. Metaphys. cap. 6.*

Ex his iam facile ad institutum conficitur argumentatio. Illa enim scientia, quæ ex omnibus & singulis illis capitibus, ex quibus dignitas scientiarum dependet, nimirum ratione subiecti & materiæ, ratione formalis obiecti Quo, & certitudinis; denique etiam ratione finis, cæteris scientijs & habitibus naturalibus dignitate antecellit, vti que simpliciter & absolute ipsæ præstantior est: Theologia est talis: Ergo, &c. Maior patet ex dictis, & ab omnibus est recepta. Minor ita sigillatim ostenditur.

Primo enim subiectum attributionis Theologia est Deus vt Deus, adeoque non solum vt author rerum naturalium, sed etiam supernaturalium; qua ratione Theologia aperte superat non solum Physicam, Mathematicam, Ethicam (vt de Logica nihil dicam) sed etiam Metaphysicam: quæ tamen Deum habeat aliquo modo pro subiecto, non tamen pro subiecto adæquato: nec vero etiam Deum, vt Deus est vniuersum, sed solum vt author est naturæ & rerum naturalium. Qua ratione superat etiam Theologia eandem Metaphysicam, omnesque scientias & habitus naturales ex parte obiecti complexi; siue vt loquitur S. Thomas hic cit. artic. 5. secundum dignitatem materiæ: Quia ista scientia, inquit S. Thomas, *est principaliter de ys, quæ sua altitudine rationem transcendunt. Aliæ verò scientiæ, considerant ea tantum, quæ rationi subduntur.*

Secundo superat Theologia alias scientias naturales ratione formalis obiecti Quo, siue quoad rationem formalem obiectiuam. Illa enim nititur lumine supernaturali diuinæ reuelationis, adeoque principijs reuelatis, vt creditis diuinæ & supernaturali fide, vt dictum quæst. 3. dub. 2. hæc vero solum nituntur lumine naturali rationis humanæ. Qua de causa etiam certitudine plurimum Theologia cæteris scientijs præstat, vt ex instituto probauimus dub. præcedent.

4 Tertio excellit Theologia cæteris scientijs naturalibus ratione finis. Primo enim ipsa à toto genere, & simpliciter loquendo, speculatiua est, non practica, vt dictum hac quæst. dub. 3. quo fit, vt ex hac etiam parte, præstat scientijs practicis, vt est Ethica, Logica: deinde quatenus secundum quoddam

conclu.

conclusiones etiam practica est, iuxta dictum eodem dub. 3. superat rursus omnes scientias practicas, quarum prestantia potissimum ex fine desumitur: quia versatur circa finem minimè subiectum finibus aliarum scientiarum; sed circa finem vltimum supremæ beatitudinis, cui omnes omnium scientiarum fines subservire debent. Ipsa enim considerat, actiones humanas, non in ordine ad finem aliquem temporalem huius vitæ, puta honestatem politicam & civilem, qualis in humano conuictu ad bonum reipublicæ requiritur, sed in ordine ad veram & supernaturalem sanctitatem toram Deo comparandam, ac demum etiam æternæ felicitatis præmium consequendum, non secus quam fides ipsa, qua, vt supra dictum, pro habitu principiorum vitur.

Ex quibus omnibus conficitur, Theologiam simpliciter & absolute omnibus cæteris scientijs naturalibus antecellere: quod his verbis hic q. 1. cit. a 5. asserit etiam S. Thomas, *vnde manifestum est*, inquit, *secundum omnem modum, hanc scientiam, omnibus alijs digniorem esse*; alijs intellige, siue vt speculatiua, siue vt practica est; iuxta ea, quæ S. Thomas antea ibidem prælocutus fuerat: Non secundum omnem conditionem, aut perfectionem scientiæ: quia quædam perfectio scientiæ est etiam euidentiæ; qua tamen, conditione superatur Theologia ab omnibus alijs scientijs naturalibus, vt dictum dub. præcedenti, & supra quæst. 2. dub. 3.

Præclare etiam de hac re Gerson part. 3. lib. de Consol. Theolog. lib. 1. prola. 2. in persona volueris: *Noli mirari*, inquit, *se Theologia philosophia præficatur; quoniam sicut naturam gratia, sicut ancillam domina, & discipulam Magistra; sicut tempus æternitas, sicut rationationem intelligentia; sicut visibilia ea quæ non videntur; sic Theologia philosophiam exuperat, quam non abicit, sed in obsequium sumit.*

Obijcies, Theologia, quoad euidentiã cedit omnibus alijs scientijs: Ergo non est simpliciter ijs dignior & excellentior. Respondetur negando consequentiã. Quia dignitas scientiarum, simpliciter & absolute minime sumitur ab euidentiã, sed à subiecto & obiecto, vt explicatum. Alioqui Mathematica superaret non solum Physicam & Ethicam, sed etiam ipsam Metaphysicam; quod tamen est expressè contra Aristotelem locis cit. & contra receptam omnium Philosophorum sententiã. Quæ etiam causa est, cur Aristoteles in comparatione scientiarum, quoad dignitatem, non fecerit mentionem euidentiæ. Et rationem iam antea ex Aristotele assignauimus, quia melius & optabilius est, de rebus maximis habere etiam cognitionem minus certam vel euidentiã, quam de rebus vilibus summam euidentiã. Alia etiam ratio est, quia scientiæ specifiçantur & distinguuntur à subiecto & obiecto; non autem penes euidentiã, quæ proinde minus principalis est in scientijs, quam ratio subiecti & obiecti.

Quare autem ratio hæc euidentiæ (sicuti ferè etiam certitudinis) non sequatur conditionem & dignitatem subiecti, siue obiecti naturalis, optimam rationem assignat Aristoteles citato loc. de partibus animalium: quia ea sunt nobis magis perspecta, quæ magis nobis sunt coniuncta, ac sensibus (à quibus omnis cognitio huius vitæ dependet) magis obuia: talia vero sunt hæc inferiora terrena & cadu-

ca, non autem sublimiora cælestia & diuina, quæ quo magis sunt à nobis, ac sensibus nostris remota, eo sunt scitu digniora; sed & difficiliora. Quæ de causa etiam Aristoteles intellectum nostrum ad illa diuina (quæ manifestissima omnium vocat) relatum comparat vespertilionis oculis, qui clarum dielumen non nisi nictando possunt aspicerè lib. 2. Metaph. cap. 1. text. 1. Ex quibus omnibus satis comprobatur, quod in assertionem dictum, Theologiam dignitate præstare simpliciter omnibus scientijs & habitibus naturalibus euidentiibus; nec ipsum quidem intellectum, seu habitum primorum principiorum excipiendi; ob eandem rationem superius explicat: Præsertim, quando is, ad ipsas etiam scientias singulas, in sua vnus cuiusque materia; ac præcipuè ad ipsam Metaphysicam, cuius est aliquo modo principia etiam ipsa tueri, reuocatur, vt dictum supra quæst. 2. dub. 5.

Assertio II. Theologia simpliciter & absolute antecedit dignitate etiam vtriusque iuris scientiam. Ita S. Thomas cit. q. 5. a. 5. vbi simpliciter asserit, hanc scientiam digniorem esse alijs. Nec est ulla de hac re apud cæteros doctores controuersia. Probat. Nam quod primum ad iuris ciuilibus peritiã attinet, cum & ipsa sit habitus merè naturalis & humanus, est ferè par eius ratio in proposito, cum alijs scientijs naturalibus: quia & ipsa obiecto materialis formalis, certitudine, & fine inferior est Theologia. Obiectum enim eius materiale vniuersum sunt leges ciuiles seu politice, quibus comprehenduntur virorum prudentum responsa, plebis scita, senatus consulta, constitutiones siue decreta principum, Regum, Imperatorum, vt constat lege 2. ff. de origine iuris, & leg. 1. ff. de legibus senatusque consultis. Has leges explicat & confirmat Iurisprudentia: simul etiam, quid ex ijs consequens sit, ostendit. Quod si leges principum, quædam etiam de fide constituunt, id tamen solum materiale obiectum est, nec ad Iurisprudentiam pertinet, nisi quatenus lege principum proponitur.

Obiectum formale quo Iurisprudentiæ est sola ratio humana & naturalis, quæ omnes leges politice nituntur. Certitudo veritatis, hoc vel illud, quod lege decernitur, esse rationi consonum & reipublicæ expediens, in legibus positiuis, non maior est, quàm moralis, in plerisque nulla, sed sola probabilitas, si materia legis secundum se spectetur; nonnunquam pro ratione est sola voluntas legislatoris: cum tamen ex æquo interim omnes bonæ leges ciuiles, ad ciuilem Iurisprudentiam pertineant. Quæ ratione etiam Iurisprudentia, cæteris scientijs inferior est, præsertim, ac speciali ratione Ethicæ, à qua sumit principia, & cui proinde aliquo modo subalternatur. Et si reuera, cum Iurisprudentia, euidentiã principiorum suorum nec requirat, nec in plerisque legibus habeat, vel admitrat, propterea nec scientia quidem est: sed ars siue disciplina legum ciuilium.

Finis per se ac proprius Iurisprudentiæ, est sola tranquillitas temporalis Reipublicæ: quæ ratione, inquit S. Thomas hic cit. art. 5. *præstat quidem scientia ciuilibus militari, quia bonum exercituum ad bonum ciuitatis ordinatur; sed Theologiæ minime, vt circa præcedentem assertionem dictum.*

Quibus rationibus probatur etiam, Iurispruden-

tiam Theologiã inferiorem esse, non solum illam quæ quasi Theorica est, & circa legum uniuersalium cognitionem versatur, ac in scholis doceri ac disci solet; sed etiam quæ magis practica est, & iuxta varietatem circumstantiarum, constitutionem atque usum uniuersalium legum moderatur, easq; ad præfentes circumstantias ac casus particulares usumque Reipublicæ accommodare nouit, pertinens ad habitum prudentiæ; siue Architectonica, vt loquitur Aristoteles 6. Eth. cap. 8. siue ministerialis; quarum illa Principi; hæc subditis eius in Reipubl. bono promovendo conuenit.

7 Quod verò ad Iuris Canonici peritiam attinet, maior quidem de hac esse potest dubitandi ratio. Hæc enim, vt & ipsum Regimen Ecclesiasticum, ad bonum spirituale ipsius Ecclesiæ per se ordinatur. Hæc summorum Pontificum & uniuersalium etiam Conciliorum infallibilia decreta; hæc sanctorum Patrum, sententias, ac sacras Ecclesiæ traditiones complectitur. Hæc adeo, quoad materiam, pleraq; tractat ex ijs, quæ etiam à Theologo tractantur; puta synceram fidei doctrinam & confessionem; Sacramentorum ritè administrandorum ac suscipiendorum rationem; Ecclesiæ ac Ecclesiasticarum legum, auctoritatem. Ex quibus fortasse quispiam colliget, Canonum scientiam Theologiã, si non superiorem, certè tamen non inferiorem esse; cum & materia, siue obiecti præstantia & certitudine, & dignitate, finis, Theologiæ nihil videatur cedere.

Sed nihilominus etiam hac ex parte firma est assertio, quam superius ex communi Doctorum sententia, vt dictum, proposuimus. Quæ facile etiam probatur, si Theologiã cum Iuris prudentia, quoad singula memorata capita, materiam scilicet, siue obiectum materiale; rationem formalem obiectiuam, adeoque certitudinem, & finem accuratè contulerimus. Primo enim, Iuris Canonici materia siue obiectum materiale, non est solum & omne id, quod de Deo rebusq; sacris ac diuinis, per diuinam reuelationem, ex scriptura aut aliunde sciri potest; sed solum quod de rebus hæc sciri potest per canones Ecclesiasticos, qui sunt propria & adæquata materia & obiectum Iuris Canonici; quod in ijs explicandis & elucidandis, ac simul etiam declarandis ijs, quæ ex ipsis consequuntur, totū versatur: cum tamen Theologia sacra, & Canonici ipsos, si quando infallibile doctrinæ sacræ argumentum præbeant, comprehendat, & præterea alia quæ plurima canonibus non expressa, ex scriptura diuina, alijsq; fidei regulis de Deo, rebusq; diuinis doceat. Quod si Iuris Canonici doctori aliquid præter Canones, ex scriptura, vel sanctis Patribus, aut traditione siue usi Ecclesiæ, de Deo, rebusq; sacris & diuinis differendum occurrat; id vel prætermittet ipse, vel à Theologia mutuabitur. Talia ferè sunt omnia illa, quæ de altissimo SS. Trinitatis mysterio, de arcana Verbi Incarnatione, de Sacramentorum virtute & efficacia, de Angelorum natura & ministerijs; de lapsu & reparatione humani generis, ac eius iustificacione, de æterna hominis beatitudine, ac supremo fine, de virtutum singularum proprijs officijs, de peccatorum & vitiolorum turpitudine, de gratiæ diuinæ necessitate & efficacia, de meritis bonorum operum disputantur.

8 Deinde quod ad obiectum formale Quo, & quæ

ex eo potissimum desumitur, certitudinem, attinet; manifestè quoq; Theologia Canonici Iuris scientiam præcellit. Nam Theologia solum & unice nititur reuelatione diuina, seu reuelatis principijs, & ijs quidè potissimum, quatenus in ipsa scriptura sacra continentur, vt declarabitur quæstione sequenti: at verò Iuris Canonici scientia maxima ex parte, diuina reuelatione, seu reuelatis principijs, nullo modo nititur; sed sæpè, vel particularibus decretis sanctorum Patrum, vel Conciliorum particularium statutis, vel priuatis etiam summorum pontificum iudicij ac sententijs; quæ nec diuinam reuelationem continent, aut proponunt, nec infallibilem auctoritatè annexam habent; eū tamen ea per se quoq; ac intrinsecè ad Iuris Canonici scientiam pertinet; non extrinsecè tantum; prout Theologia non nunquã etiam de Deo, rebusq; diuinis probabiliter solum disputata admittit.

Præterea, tametsi Iuris Canonici scientia, quædam principia etiam reuelata contineat; vt sunt definitiones Conciliorum generalium & summorum Pontificum, in rebus ad fidem spectantibus; tamen & ea ipsa dignitate cedunt scripturæ sacræ: cuius vtique; maior est auctoritas, quam Ecclesiæ; siue hæc in concilijs uniuersalibus, siue in suo capite Romano Pontifice representetur, vt suo loco in 2. 2. materia de fide ex communi docetur. Cuius rei etiam hæc aperta ratio est; quia auctoritas scripturæ sacræ secundum se non nititur Ecclesiæ, at verò definitiones Ecclesiæ, earūq; adeo certitudo & infallibilitas, pendet aliquo modo à scriptura sacra; ex qua potissimum reuelata principia petenda sunt. Et quamuis vtraque tam Ecclesiæ, quam scripturæ sacræ auctoritas suo modo infallibilis sit; excellentior tamen infallibilitatis modus, in ipsa scriptura cernitur; quæ nec minimo errori obnoxia est; & propius diuinam reuelationem primariè veritatem attingit, quam Ecclesiæ; hæc enim solummodo habet se per modum proponentis, & regulæ extrinsecè notificantis diuinam reuelationem: Scriptura verò sacra intrinsecè ad diuinam reuelationem veluti instrumentum, quo interna veritas Dei nobis reuelatur, pertinet; vt etiam in 2. 2. fusius declaratur.

Quod si res accuratius ad calculos reuocetur, fatendum erit, Iuris Canonici scientiam nullam penitus infallibilem, & supernaturalem assensum habere, nisi qui sit aut ipsius fidei, aut Theologiæ; dum scilicet definitioni Canonis infallibili, in re aliqua fidei, Canonum peritus, simpliciter, tanquam regulæ fidei & principio reuelato adheret; aut ex eiusmodi infallibili Canonis veritate & assensu, addito aliquo alio principio reuelato, aut saltem præmissa altera euidente, per bonam consequentiam, aliud colligit; quorum prius ad fidem pertinet; posterius ad Theologiã, vt colligitur ex his, quæ superius q. 2. dub. 1. & 2. & q. 4. dub. 2. docuimus.

Qua de causa etiam rectè docuit Ganus lib. 8. loc. Theolog. cap. 7. in his quæ ad fidem pertinent, Iuris consultorum auctoritate Theologum non egere, quin potius eorum titulum expostionem, qui de fide decernunt, legis peritum à Theologo mutuari debere: eiusque rei rationem addit. Sine enim Pontifici es, inquit, seu concilii, quæ in volumine Iuris coguntur, quicquam desumant, quod ad fidem spectare videatur, id certe non ex sensu suo, sed ex sacris literis, atque Christi & Apostolorum traditionibus colligant necesse est. Cum ergo principia, unde

Pontifices & concilia ad quaestiones fidei decernendam proficiuntur, propria sunt Theologiae & facultatis, cuius est cognoscere, quae à Deo sunt reuelata, quaeq; huiusmodi vel consequentia, vel repugnantia, plane conficitur, in eiusmodi rebus, canonum sacrorum intelligentiam non à iurisperitis, sed à Theologis esse petendam. Quod idem auctor pari ferè ratione affirmat etiam de his, quae ad mores pertinent, quatenus vel lex Euangelica, vel ratio philosophiae Ethicae, ipsumque adeo naturale lumen rationis, de huiusmodi praescribit.

Qua ex re, pergit idem auctor, facile coniectura est, Iurisperitos quosdam in summo errore, & magna derelicta ignorantia versari, cum asserunt, in materia v. s. urarum simoniae, & alijs eiusmodi, in quibus de peccato mortali agitur, ad Iurisperitos potius, quam ad Theologos recurrendum; quo in errore fuerunt Anacharitas in disputatione, cuius initium est, Antiquis & modernis temporibus, & Ioannes de Anania in cap. In ciuitate, de v. s. uris, & Alexander in concilio primo, & Aluarus Pelagius lib. 2. art. 20. & Hostiensis in cap. penultimum, de etate & qualitate ordinandorum, & c. cum tamen ea, & his similia potissimum ex scriptura sacra, & naturali rationis lumine definenda sint: quorum illa vtiq; ad solum Theologum proprie, hoc directe quidem ad philosophum moralem, sed ex consequenti, ac iure quodammodo seruicij etiam ad Theologum, magis certè, quam ad Iurisperitum pertinet.

Interim negandum non est, in tertio quodam rerum genere, vti rectè tradit idem auctor, vbi scilicet de moribus Ecclesiae, & religionis institutis per leges tantum pontificis decernitur, seu vbi poenae Iuris praescribuntur, Iurisperitorum auctoritatem & doctrinam non parui esse momenti. Sicuti nec leges ciuiles, eorumq; interpretes negligendi à Theologo sunt, vbi particularem de Iure & Iustitia, de dominio & praescriptione, de successione & testamento, de publicis actionibus & Iudicijs, de pactis & contractibus, de restitutione & vindicatione, alijsque similibus rebus agitur, ut rectè notauit idem Canus lib. 10. loc. Theolog. cap. 9. Ex quibus satis patet, quod diximus, Theologiam tam quoad materiam, quam certitudinem, rationemque obiectiuam, Canonici Iuris scientiae praestare.

Sed & ratione finis superiorem esse Theologiam, ita facile ostenditur. Tamest enim quidem negari non possit, etiam Canonum scientiam, non secus ac Canones ipsos, ad spirituale bonum Ecclesiae, aeternamque hominum salutem ordinari; Theologia tamen hunc ipsum finem multò perfectius attingit, duabus de causis. Prima est. Quia Canones Ecclesiastici, cum sint quaedam leges humanae, directe, ac per se actus ac dispositiones merè internas animi, in quibus tamen potissimum ad salutem momenti est, praecipere non possunt; vt suo loco de legibus docetur: cum tamen Theologia de internis maximè virtutibus, vera nimirum in Deum fide, & charitate, vel maximè instruat; diuinaque de ijs praecpta exacte explicet & inuelet. Altera causa ex priori oritur; quia Ecclesiae leges & decreta per se directe ac immediatè spectant externam Ecclesiae policiam, & fidelium inter se conuictum; leges diuinae, quas Theologi ex scriptura sacra imprimis, alijsque fidei regulis proponunt & explicant, internam mentis & conscientiae puritatem potissimum respiciunt. The-

ologia igitur tanto perfectius mentes hominum ad aeternam beatitudinem consequendam disponit & ordinat: quanto interni virtutum actus, & conscientiae illibata puritas, plus ad salutem momenti adferunt, quam actus externi, & conuersatio inter homines inculpata.

Consenti his, quae diximus, Aureolus q. 1. prolog. art. 3. vbi ait: *Scientia Legalis aut Canonica, in seipsum quidem non est proprie scientia; sed memoratiua reuerentio legum, & statutorum. In his vero Iuris, quae tenent ex aequitate, & ex natura rei, ibi habent Iurista scientiam, qualem natura rei patitur; quia & sic continentur sub morali. In Moralibus autem sufficit rationalitas, nec exigitur Mathematica necessitas, ut patet ex Aristotele 2. Eth. cap. 7.*

Ex quibus omnibus conficitur, Theologiam non solum omnibus scientijs naturalibus, ipsaque adeo etiam vtriusque Iuris peritia digniorem esse, sed & cum supremam cognitionem humanam regulam continere, atque ad supremum hominis finem perfectissimè ordinare, de his omnibus ex officio iudicare, easque sicubi à suprema illa regula diuinae reuelationis, ac salute aeterna deuiet, corrigere, & emendare: vti re ipsa multae leges ciuiles à sacris Canonibus correctae sunt. Sed & Canones quidam particularium conciliorum, vel etiam Doctorum, ad Theologiae trutinam, & infallibilem regulam verbi diuini rectè examinantur: vti in specie videre est apud Ioannem Azorium tom. 1. Instit. lib. 5. cap. 20. & 21.

Quod si Ecclesiae, conciliorum, vel summi Pontificis, adeoque canonum sacrorum auctoritas vniuersim (vbi fit à Saecularijs hoc tempore) negetur atq; rejiciatur: certè qui eam tueri possunt, alij non sunt, quam Theologi; ita vt vbi Canonista, suo munere iam perfunctus, desinit, recitandis videlicet, & explicandis Canonibus; hic Theologia, eo casu, tanquam scientia superior, quasi sursum ascendendo incipiat; cuius est, ipsa etiam Iuris Canonici prima principia (Canones dico, & Ecclesiae decreta) contra impugnatores haereticos tueri. Plura de dignitate sacrae Theologiae peti possunt ex ijs, quae supra q. 2. dub. 5. docuimus, vbi probauimus, eam esse sapientiam.

Aduersus haec, quae in vtraque assertionem, pro tunc da sacrae Theologiae dignitate, diximus, obijciunt; Theologiam sacram saepe etiam ope & subsidio, tum scientiarum naturalium, tum imprimis etiam vtriusque Iuris scientiae vti ac indigere, ad suum munus rectè exequendum, vt nos ipsi etiam paulo antea falsissimum; vnde colligi videtur, eam non superiorem dictis scientijs, sed inferiorem esse. Respondetur eum S. Thoma hic q. 5. art. 5. ad 2. negando consequentiam: quia necessitas rei alicuius, aut scientiae, non eo ipso reddit eam alijs, quibus necessaria est, digniorem: alias Logica dignior esset omnibus scientijs, quando eius opera & ministerio omnes indigent. Instrumenta quoque artium omnium ipsis artibus & artificibus essent praestantiora; eum sine illis isti efficere nihil possint: grammatica item praestaret omnibus scientijs, quando sine litterarum cognitione comparari nulla scientia potest. Vtiur ergo quidem Theologia subinde etiam aliarum scientiarum, ac ipsius Iurisprudentiae ope; sed velut ministrantium, non praecipientium; vti superius etiam q. 1. dub. 2. ex Clemente Alexandrino retulimus.

Verba S. Thomæ ad propositum sunt ista: *Hæc Scientia non accipit sua principia ab alijs scientijs, sed immediate à Deo per revelationem, Et ideo non accipit ab alijs scientijs tanquam à superioribus, sed utitur eis, tanquam inferioribus & ancillis: sicuti architectonica utuntur submissis fratribus, ut ciuiles militari. Et hoc ipsum,*

quod sic utitur eis, non est propter defectum & insufficientiam eius, sed propter defectum intellectus nostri: qui ex his, quæ per naturalem rationem (ex qua procedunt alia scientia) cognoscuntur, facilius manducatur in ea, quæ sunt supra rationem, quæ in hac scientia traduntur. Ita S. Thomas. Atq; hæc de attributis Theologiæ factis,

QVÆSTIO V.

De principijs siue locis Theologicis,

S. Thom. 1. p. q. 1. art. 8. 9. & 10.

Absoluitur hæc quæstio quinque dubijs. I. Quot & quinam sint vniversim loci ac sedes principiorum Theologicorum. II. Quotuplex sit Scriptura sensus, & quam ad argumentandum efficax. III. An etiam conclusio Theologica ex duabus reuelatis, aut una reuelata, & altera naturaliter euidente, possit esse principium Theologicae argumentationis. IV. An etiam sequatur conclusio necessaria, seu certà de fide, si in discursu Theologico præmissa naturalis sit vel de inesse tantum, vel moraliter certà. V. An & quæ ratione argumenta contra fidem possint solui.

DVBIVM I.

Quot, & quinam sint vniversim loci ac sedes principiorum Theologicorum, & quanam singulorum ratio.

S. Thom. 1. p. q. 1. art. 8.

CAm Theologia sit habitus argumentatiuus, ut dictum q. 2. dub. 1. habet utiq; suos etiam quosdam argumentorum ac principiorum locos ac sedes, ex quibus argumenta depromit. Numerus autem locorum Theologicorum variè à varijs constituitur, non tam rerum ipsarum, quam verborum, discrimine, vt inferius dicemus.

Sunt enim primò nonnulli ex Theologis, qui vnium tantum locum Theologicum videntur assignare, nimirum scripturam sacram. Ita loquitur Scotus q. 3. prolog. ad quæstiunc. 3. vbi ait: *Theologia nostra non est actualiter omnium scibilium, pro statu isto, quia sicut Theologia beatorum habet terminum, ita & nostra ex voluntate Dei reuelantis. Terminus autem præfixus à voluntate diuina, quantum ad reuelationem generalem, est eorum, quæ sunt in sacra scriptura. Quia sicut habetur in Apocal. ultimo, Qui apposuerit ad hæc, apponet ei Deus plagas, quæ apponuntur in libro isto. Igitur Theologia nostra de facto non est nisi de his, quæ continentur in scriptura, & de his quæ possunt elici ex ipsis. Similia habet Henricus Gandauensis in summa art. 8. q. 6. vbi ait: *Tota ista scientia constata ex veteri testamento & nouo, isto modo imperfectionis, nullà omnino habet imperfectionem, sed est tota perfectà. Et inferius: Et sic, inquit, ex Euangelio Christi formaliter habetur omnis veritas, quam pollicitus erat per spiritum sanctum Apostolos docturū. Similia habet Gerfon tract. de exam. doctrinarum part. 2. considerat. 1. Vbi ex auctoritate Beati Dionysij refert, nihil audendum dicere de diuinis, nisi**

quæ nobis à scriptura sancta tradita sunt. Et addit: Quoniam scriptura nobis tradita est, tanquam regula sufficiens & infallibilis, pro regimine totius Ecclesiastici corporis & membrorum, usq; in finem seculi. Sed & ipse etiam S. Thomas, mox referendus, vnium tantum proprium & necessarium Theologiæ locum refert scripturam sacram; sub qua tamen etiam traditiones, & Ecclesiæ summique Pontificis auctoritatem comprehendit; utpote quas generatim ipsa etiam scriptura commendat, vt inferius assert. 4. dicitur.

Secundò Bellarminus Cardinalis, tom. 4. controuersia 1. lib. 1. & 4. vt & alij Controuersiarum Tractatores sæpe, omnes veritates fidei, adeoque principia Theologica ad duos generales locos reuocant, nimirum verbum Dei scriptum, & non scriptum; siue ad scripturam sacram, & traditiones; late hoc nomine accepto, pro omni fidei veritate, in scripturis speciatim non tradita.

Tertiò S. Thomas hic q. 1. art. 8. ad 2. obiter & velut aliud agens, Theologiæ argumentationis latissimæ acceptæ, quatuor locos commemorat; videlicet primò auctoritatem sacre scripturæ; secundò auctoritatem SS. Patrum; tertiò auctoritatem Philosophorum, aliorumq; scriptorum profanorum; quartò rationem naturalem: ex quibus primum locum dicit esse, ex proprijs & necessarijs; secundum, ex proprijs quidem, sed probabilibus; quod intellige, si singuli, aut aliqui Patres seorsim aliquid tradant; & non omnes simul, in aliquo religionis dogmate consentiant: tertium ex probabilibus, sed extraneis; quod omnes fatentur: Quarto loco nullum ipse quidem peculiarem assignat titulum; Caietanus tamen ibidem interpretatur, itidem esse ex probabilibus & extraneis; sed non rectè. Nam S. Thomas potissimum respexit ad rationes necessarias & euidentiores; vt proinde ex eius mente præcipuè sit necessarium quidem, sed extraneorum.

Quartò Gregorius de Valentia hic q. 1. punc. 5. 1. §. omillis locis extraneis & probabilibus, septem.

locos

locos argumentorum verè Theologicorum numerat. 1. Auctoritatem scripturæ sacræ. 2. Traditionum Apostolicarum. 3. Summorum Pontificum definitum, quæ sit doctrina fidei. 4. Conciliorum. 5. Auctoritatem consentientem Doctorum Ecclesiasticorum. 6. Communem fidelium consensum in re aliqua, ad religionem pertinente. 7. Veritatem naturalem euidentem, iunctam veritati fidei.

Quintò Melchior Canus, quide Locis Theologicis peculiare opusedidit, lib. 1. cap. 3. Theologicæ argumentationis, uniuersim itidem acceptæ, decem locos ordine commemorat; nimirum 1. Auctoritatem sacræ scripturæ. 2. Auctoritatem traditionum Christi & Apostolorum. 3. Auctoritatem Ecclesiæ Catholicæ, seu communis sensus fidelium. 4. Auctoritatem Conciliorum, præsertim generalium, in quibus Ecclesiæ Catholicæ auctoritas residet. 5. Auctoritatem Ecclesiæ Romanæ, seu Pontificis quippiam definitis. 6. Auctoritatem Sanctorum veterum. 7. Auctoritatem Theologorum, Scholasticorum, Canonistarum. 8. Rationem naturalem. 9. Auctoritatem Philosophorum & Iurisconsultorum. 10. Auctoritatem humanæ historiarum. E quibus septem priores locos ferè proprios vult esse Theologiæ; tres reliquos adscriptitios & alienos, ac quasi emendicatos. Eandem doctrinam referunt & probant Dominicus Bannes hic q. 1. a. 8. Gabriel Vasquez hic disp. 12. cap. 1. Nec multum discrepant è recentioribus illi, qui addunt Angelicam auctoritatem: (quæ tamen vix in vsu est apud Theologos) & simul Iurisconsultos seorsim à Scholasticis Doctoribus & Philosophis numerant; atque ita duodecim locos constituunt. Sed & ipsemet etiam Canus fatetur, alio atque alio respectu, eos ipsos locos vel contrahi, vel extendi posse.

Vt autem nostram sententiam hac de re distinctè explicemus; Notandum est, locos Theologicos duplici ratione consignari & enumerari posse; prout etiam ipsæ Theologicæ argumentationes duplici modo appellari possunt. Primò latè, prout nimirum uniuersim comprehendunt, omnis generis argumentationes, quibus Theologi nonnunquam ad suas conclusiones vrcunque probandas vuntur, siue propriè sint Theologicæ, siue alienæ, & ab alijs scientijs, vel habitibus quasi mutuo acceptæ; in quibus rursum aliquæ sunt necessariæ, aliæ solum probabiles. Secundo accipiuntur loci & argumentationes Theologicæ strictè, pro ijs, quæ non ex alijs habitibus aut scientijs desumptæ, propriè ad ipsum Theologiæ habitum pertinent, simulque rationem formalem obiectiuam & certitudinem Theologiæ propriam continent siue constituunt. Qua ratione loci Theologici principia solum diuinitus reuelata, ipsasque fidei veritates continent; cum etiam Theologicæ argumentationes aliq̄ propriè non sint, quam quæ ex principijs eiusmodi reuelatis (siue vtraque præmissa sit reuelata, siue vna reuelata & altera naturaliter euidens) procedunt, vt dictum supra q. 3. dub. 2. & q. 4. dub. 4. Et vtroq; tamen modo rursum numerus locorum Theologicorum aut generalius & contractius, aut in specie magis & distinctè, re tamen interim eadem permanente, iniri ac designari potest. Quare obseruata, facile iam est, & nostram.

hac de re sententiam explicare; & varias aliorum sententias nobiscum, ac inter se, conciliare.

Assertio I. Loci Theologici latè accepti, si distinctè numerentur (prout videlicet aut toto genere, aut saltem secundum certitudinem plurimum, differunt) rectè uniuersim numerantur viginti; nimirum 1. Explorata & perspecta auctoritas siue sententia sacræ scripturæ. 2. Eiusdem auctoritas probabiliter existimata. 3. Explorata auctoritas traditionum Christi & Apostolorum. 4. Auctoritas earundem traditionum probabiliter existimata. 5. Perspecta auctoritas Ecclesiæ Catholicæ, siue communis sensus omnium fidelium exploratus, cum aliquid credunt vel ad fidem pertinens. 6. Auctoritas eiusdem consensus probabiliter existimata: quo pertinet communior fidelium, aut etiam ipsi per se Ecclesiæ Romanæ, vt particularis quædã Ecclesiæ est, sensus, quamuis exploratus. 7. Auctoritas explorata Conciliorum generalium, seu approbatorum. 8. Auctoritas Conciliorum non approbatorum, seu approbatorum quidem, sed non explorata: siue quia non satis constat de approbatione; siue quia sensus verborum Concilij non est satis perspectus. 9. Auctoritas explorata definitionis Pontificæ, in dubia questione fidei seu religionis. 10. Eadem auctoritas probabiliter existimata. 11. Consentens & explorata auctoritas SS Patrum in re fidei, seu quam ipsi velut de fide certam tradiderunt. 12. Auctoritas eorundem veterum Patrum, aut non consentiens, aut non firma, aut non explorata. 13. Consentens & explorata auctoritas Ecclesiasticorum Doctorum cuiusque ætatis in re fidei tradenda; in quibus etiam quantum ad Canonum scientiam simul connumerandi sunt Canonistæ; ut rectè Canus & Gregorius de Valentia locis cit. 14. Auctoritas eorundem non consentiens, aut non satis explorata; quo spectat auctoritas Scholasticorum Doctorum per se & seorsim accepta. 15. Auctoritas Ecclesiastica historiarum, nempe de rebus Ecclesiasticis, præsertim à viris Ecclesiasticis scriptæ. 16. Auctoritas & fides profanæ historiarum. 17. Ratio naturalis euidens. 18. Ratio naturalis probabilis. 19. Auctoritas Iurisconsultorum legumque ciuilium. 20. Auctoritas Philosophorum. Hæc assertio constat satis ipso quotidiano usu & experientia. Neque est contra Canum, aut cum eo sentientes: quia non negauit ipse, quemlibet ex prioribus locis à se allatis posse rursum in duos subdiuidi, quorum vnus probabilis solum, alter infallibilis argumenta suppeditat. Imò hoc ipsam auctores illi expressè docuerunt, & per se notum est. Omnia verò est auctoritas Angelica; quia hæc per se non versatur in publico Theologiæ vsu: ac si de specialibus ac priuatis Angelorum reuelationibus loquamur, apud eos, quibus reuelatio ipsa facta non est, plus non præstat, quam argumentum probabile.

Assertio II. Loci recensiti inter se variè differunt; ac in ijs septem tantum sunt loci proprii, ac propriè Theologici: nimirum 1. Explorata auctoritas sacræ scripturæ. 2. Explorata auctoritas traditionum Christi & Apostolorum. 3. Perspecta & consentiens auctoritas totius Ecclesiæ Catholicæ; siue consensus fidelium exploratus, cum aliquid credunt, velut ad fidem pertinens. 4. Auctoritas explorata.

Concilio.

Conciliorum generalium, seu approbatorum, quipiam circa fidem definiuntur. 5. Autoritas legitima & explorata definitionis Romani Pontificis in dubia fidei quaestione. 6. Consentiens & explorata autoritas SS. Patrum, in aliquo fidei dogmate tradendo. 7. Similis consensus sine autoritas Ecclesiasticorum Doctorum: quibus subseruiunt alij ex enumeratis. Hæc assertio est ex mente omnium Doctorum, ac ferè in terminis habetur apud Gregorium de Valentia loc. cit.

Probat & declaratur. Quia vt superius ex S. Thoma hic q. 1. a. 8. diximus, & sequuntur etiam Caietanus ibidem, & Gregorius de Valentia loc. cit. Loci Theologici, generatim loquendo (quos antea recensimus) sunt in triplici differentia. Aliqui enim sunt ex proprijs & proprijs, seu propriè Theologici: quidam ex proprijs quidem, sed non proprijs alij demum penitus alieni & adscriptitij. Iidem loci omnes rursus aut sunt probabiles tantum, seu probabilium argumentorum sedes: aut necessarij & infallibiles. Loci ex proprijs & proprijs Theologiæ vocantur, quoniam solum ex suo genere ad solam Theologiam pertinent, materiamque adeo Theologicam continent: sed etiam certitudinem ac infallibilitatem Theologicam, seu obiecti formalem quo Theologiæ annexam habent: siue quorum & materia Theologica est, vt pote ex suo genere religionem concernens; & ipsa quasi forma etiam, seu autoritas, & certitudo supernaturalis ac infallibilis est. Locus enim propriè Theologicus non est, nisi sedes sit argumentationis propriè Theologiæ, quæ procedit vel ex vtraque, vel ex vna saltem præmissa reuelata, & altera euidente, per euidenter consequentiam, vt superius dictum: Ergo nec locus propriè Theologicus esse potest; nisi infallibilem habeat autoritatem, adeoque infallibiliter contineat propositiones fidei reuelatas: siue per eum ipsum locum primum fiat reuelatio, vt fit per scripturam, siue reuelatio iam antea facta per eum infallibiliter innotescat & proponatur, vt fit per Ecclesiam, vt in materia de fide docetur. Et tales sunt septem tantum ij, quos numerauimus. Nec obstat, quod etiam ex necessarijs eiusmodi locis, solum probabilia quandoque ducuntur argumenta: V. G. Deus in principio creauit cælum & terram: Ergo simul etiam in eodem principio creauit cætera elementa, & corpora simplicia intermedia, &c. Id enim non fit ob defectum materiæ seu principiorum, quæ continentur illis locis; sed ob defectum consequentiæ; quæ ad locos ipsos secundum se non pertinet: vel etiam ob defectum alterius præmissæ adiunctæ.

Loci verò ex proprijs, sed non proprijs Theologiæ sunt illi, qui ex genere quidem suo, & ratione materiæ, ad solam Theologiam pertinent; sed tamen infallibilem certitudinem rationemque formalem Theologiæ non continent; esto autem autoritatem merè humana fide non paulo maiorem habeant. Vti cernitur in Doctoribus & Scriptoribus Ecclesiasticis; quorum doctrina & fides licet in singulis illis infallibilis non sit, maiori tamen aliquo lumine diuinitus inspirato ex suo genere gubernata fuisse diuini iure creditur. Quæ de causâ etiam docet Vasquez cit. disp. 12. cap. 4. locum historiæ Ecclesiasticæ proprium, seu ex proprijs Theologiæ esse; licet Canus

vnuerfim eum vocet adscriptitium, vt vidimus. Tales proinde loci, ex recensitis præcedenti assertione, inueniuntur octo; nimirum 1. autoritas scripturæ sacræ probabiliter solum existimata. 2. autoritas traditionum Christi & Apostolorum probabiliter existimata. 3. Similis autoritas existimati consensus totius Ecclesiæ, vel explorati etiam consensus plurium, in aliqua re fidei. 4. autoritas conciliorum quidem, sed non explorata. 5. autoritas definitionis Pontificiæ probabiliter existimata. 6. autoritas SS. Patrum, aut non consentiens, aut non firma, aut non explorata. 7. autoritas Doctorum, cuiusque ætatis, aut non consentiens, aut non satis explorata, &c. 8. autoritas Ecclesiasticæ historiæ: qui loci inter recensitos sunt, secundus, quartus, sextus, octauus, decimus, duodecimus, decimusquartus, & decimusquintus, vt singulos consideranti erit manifestum.

Externi verò & adscriptitij, siue alieni loci vocantur, quorum & autoritas, & materia per se merè naturalis est. Et tales ex enumeratis sunt quinque, postremi, nimirum 1. autoritas seu fides profanæ historiæ. 2. ratio naturalis euidens. 3. ratio naturalis probabilis. 4. autoritas Iuriconsultorum. 5. autoritas Philosophorum: è quibus sola ratio euidens; ac suo modo etiam historiæ vnuerfalis in aliqua re testanda consensus (vt dicitur infra dubit. 4.) necessarium præbet argumentum, cæteri probabile solum.

Et quanquam Gregorius de Valentia cit. q. 1. p. 5. §. 1. etiam veritatem naturalem euidenter, iunctam veritati fidei, inter locos verè & propriè Theologicos annumerauerit, vt supra retulimus, verius tamen est contrarium; vt indicat etiam S. Thomas hic cit. q. 1. a. 8. quia rationi naturali, etiam iunctè propositioni fidei, cõclusio Theologica propriè non innititur, vt dictum q. 3. dub. 2. sed solis principijs fidei Quocirca Vasquez cit. disp. 12. num. 6. hoc ipso etiam casu docet, rationem naturalem non esse proprium locum Theologi, sed adscriptitium.

Assertio III. Rectè etiam vnuerfim loci omnes propriè Theologici reuocantur ad duos locos generales, nimirum Verbum Dei scriptum, & non scriptum; siue ad scripturam sacræ, & traditiones; latè hoc nomine accepto, pro omni scilicet fidei veritate, in scripturis speciatim non tradita. Authores recitauimus supra, circa secundam sententiam. Probat assertio. Cum enim Theologia pro ratione, assentiendi habeat propositiones fidei reuelatas, vt dictum q. 4. dub. 2. necesse est vtique, omne principium Theologiæ esse reuelatum, adeoque continere verbum Dei: reuelari autem, vel saltem reuelatum proponi, seu cognosci infallibiliter potuit, vel per scripturam sacræ, vel extra illam, voce Christi, Apostolorum, vel Ecclesiæ, seu totius, seu vt in Concilijs congregatæ, seu etiam capitis eiusdem Ecclesiæ visibilis in terris, Romani Pontificis. Vnde exurgit triplex genus traditionum diuinarum, Apostolicarum, & Ecclesiasticarum; de quibus plura Bellarminus lib. 4. de Verbo Dei cap. 2. & suo loco in 2. 2.

Assertio IV. Tamet si verè quidem aliquo sensu dici possit, omnia quæ ad fidem pertinent, contineri

aliquo

aliquo modo in sacra scriptura; non tamen absolute dicendum est, scripturam esse vnicum duntaxat Theologiae locum proprium. Prima pars est mens authorum, quos pro prima sententia adduximus; & ita facile probatur, Si enim omnia, quæ credim⁹, aut continentur expresse in scriptura; aut ex ea aliquo modo deducuntur: fatendum plane est, omnia quæ ad fidem pertinent contineri modo aliquo in sacra scriptura; nimirum aut explicitè & immediate, aut implicitè & mediate: sed verum est antecedens: Ergo, &c. Maior patet.

Minor probatur. Quia quædam credenda explicitè & immediate contineri in sacra scriptura, nemo negat: cætera verò omnia ex scriptura aliquo modo, interposita scilicet infallibili Ecclesiæ autoritate, rem aliquam velut de fide certam proponentis, infallibiliter colligi, ita probatur. Quia de quibuscunque eiusmodi rebus fidei, etiam aliqui inter traditiones numerari solitis, ita possumus ex scriptura ratiocinari. Quidquid Ecclesia in rebus religionis credendum proponit, id est certum & infallibile, ac omnino fide credendum: Hoc vel illud Ecclesia proponit credendum v.g. Communionem sub una specie esse ex se honestam, nec diuino iuri repugnare; Infantes rectè baptizari; ab hæreticis baptizatos non esse rebaptizandos, &c. Ergo hæc omnia & singula omnino sunt certa & infallibilia. Maior huius syllogismi sumitur ex scriptura, Matth. 18. v. 17. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Matth. 16. v. 18. *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam; & porta inferi non præualebunt aduersus eam.* 1. Tim. 3. v. 15. *Ecclesia est columna & firmamentum veritatis.*

Eadem pars assertionis probari etiam potest hoc discursu. Quicquid enim creditur, aut est scriptum (in sacra scriptura;) aut traditum per Ecclesiam: vt constat ex præcedente assertione: vtrumque aliquo modo continetur in scriptura sacra; illud quidem explicitè; hoc verò implicitè eo ipso, quod ipsa scriptura Ecclesiæ infallibilem autoritatem, Ecclesiasticasque traditiones commendat, & obseruandas præcipit, vt constat ex citatis scripture locis, & insuper ex illo 2. Thess. 2. v. 14. *Itaq; fratres stite & tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram.*

Denique nulla est regula fidei, quæ non sit vel ipsa scriptura sacra; vel commendetur in scriptura sacra; vti de Ecclesia, adeoq; etiam vniuersalibus Ecclesiæ concilijs & traditionibus, patet ex locis citatis: de summo Pontifice; ex Matth. 16. v. 18. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & porta inferi non præualebunt aduersus eam: Et tibi dabo clauem regni cælorum. Et quodcumq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: Et quodcumq; solueris super terram, erit solutum & in cælis.* Item Ioan. 21. v. 15. 16. 17. *Pasce agnos meos, pasce oues meas, &c.* Quorum vtrumque ad Petrum, ac Petri successores Romanos Pontifices pertinet, vt suo loco in 2. 2. materia de fide instituto docetur. De SS. Patribus & Doctoribus Ecclesiæ id ipsum patet ex Ephes. 4. v. 11. *Et ipse (Christus) dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas; alios verò Euangelistas; alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerij: in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis filij Dei,*

in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi: vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni verbo doctrine, in nequitia hominum, in astutia ad circumuentionem erroris. Atque in eundem etiam sensum Catholicæ doctrinæ explicauim in colloquio Ratisponensi sess. 5. Protocoll. Monac. edit. 2. pag. 92. ac postea in Responso ad primam classem testimoniorum, sub finem, post sess. 8. pag. 188. vt & initio responsi ad secundam classem Testimoniorum ab Aduersarijs prolatorum pag. 189. Idq; postea fusius prosecutus fui in Apologetico Relationis de Colloquio cap. 6. 8. & 9. vbi de scripturæ perfectione, & traditionum necessitate pluribus disputatum.

Vnde etiam colligitur, etsi quidem, aliqui omnes & singule propositiones immediate reuelatæ à Deo, habeant rationem primi principij in Theologia: nihilominus tamen inter principia, quibus vtitur Theologus, quendam cerni ordinem; ita vt in illis, perinde vti fit in aliarum scientiarum principijs quædam dentur, veluti dignitates siue Maximæ: quibus omnis propemodum discursus Theologicus innititur. Tales sunt istæ duæ: Prima naturalis, & naturaliter euidentis; Quicquid Deus dicit seu reuelat, verum est: Altera supernaturalis & reuelata; Quicquid scriptura sacra docet, est à Deo reuelatum. Ex isto enim principio habemus, hoc vel illud esse à Deo reuelatum, modo explicato: Ex illo; Omne à Deo reuelato verum esse; qui discursus supponitur, & virtute quasi continetur in omni discursu Theologico; vt pluribus Gillius lib. 1. tract. 2. cap. 6. Et quia fides ante scripturam fuit, atq; etiam non pauca fide creduntur, quæ particulatim in scriptura reuelata non sunt; vt taceã quod priuatim subinde reuelata ita de per fidem credi possunt, vt suo loco dictum; idcirco discursus Theologicus per se, aut vniuersim, à scriptura diuina, adeoque à secunda illa Maxima minime dependet.

Secunda pars assertionis ita facile probatur. Quia qui dicit, scripturam esse vnicum locum Theologicæ argumentationis, aut vnicam normam, is excludit & negat esse alios locos, seu regulas fidei infallibiles; vt per exponentes ex dialectica patet: at vero negari nullo modo potest, esse etiam præter scripturam alios plures locos, seu regulas fidei infallibiles, vt ex dictis patet; & fusè contra aduersarios in colloquio Ratisponensi probatum fuit: & pluribus postea deductum ac defensum cit. Apologet. Relationis cap. 4. 5. 6. 8. 9. 10. 13. Ergo, &c. Neque verò Scotus, Gandauensis, Gerson, aut S. Thomas vnquam ita locuti fuerunt, scripturam sacram esse vnicam normam fidei, aut vnicum locum Theologicæ argumentationis: idque etiam hoc tempore multò minus dicendum est, quod Sectarij his ipsis verbis errorem suum, quo à fidei doctrina & regula, traditiones, auctoritatemque infallibilem Conciliorum, summi Pontificis, & Ecclesiæ, exclusas volunt, profiteri solent, vt cit. cap. 4. Relationis videre est; etsi nec id ipsum tueri in Colloquio potuerint, vt ostensum in Relat. de Colloq. part. 3. cap. 5. & Apologet. præfat. cap. 11. & 12. & in Apologet. Relat. cap. 18. idque insuper ipsum etiam in Colloquio ipsdem aperte exprobratum, pro confesso ipsi habuerunt, cit. Responso ad primam classem testimoniorum, ad 2. testimonium Irænei Protocoll. pag. 177. & alibi.

Nec pluribus hoc loco de singulis locis Theologicis tractandum, quando loci alieni ad Theologum propriè non pertinent; ex ijs verò qui propriè Theologici sunt, de scriptura quidem dubio sequenti agitur: de cæteris verò, nimirum de traditionibus, de Ecclesia, de Concilijs, de summo Pontifice, ex instituto differitur, in 2. 2. vbi de Regulis fidei agitur.

9 Triasolum circa Ecclesiæ, & SS. Patrum, Doctrinamque auctoritatem, hoc loco breuiter notanda. Primum: Ecclesiæ vnanimem consensum, aut doctrinam, cum aliquid velut ad fidem pertinens, credit vel docet, non tantum eatenus esse infallibilem, quatenus formaliter fidei contrarius esse non potest; ita nimirum vt sit hæreticus, & ipsius fidei habitum expellat: sed etiam materialiter falsum esse non potest; adeoque simpliciter infallibile esse, vt ex dictis scripturæ locis, Matth. 16. & 1. Tim. 3. alijsque pluribus, rectè probant Canus lib. 4. loc. Theolog. cap. 4. & Gregorius de Valentia loc. cit. contra quosdam contrarij insinuates, in quibus, *si de facie consideres*, inquit Canus, *videntur Glossæ interlineariæ, in illud, Porta inferi non præualebunt aduersus eam: & D. Thomas in 4. d. 6. q. 1. art. 3. questione. 2. ad 3. & Cardinalis Turrecremata lib. 2. de Ecclesiæ, cap. 9. & Alphonsus à Castro de iusta hæret. punit. lib. 1. cap. 5. Quæ sententia si vera esset, iam vim infallibilem non haberet argumentatio illa: Ecclesia tota credit, aut docet, hoc, vel illud; v. g. Euangelium Matthæi esse Canonicum: Ergo reuera est: Id quod tamen nequaquam dicendum est.*

Secundum est, Auctoritatem consentientem, SS. Patrum, seu omnium, qui nos antecesserunt; seu qui ætate qualibet vixerunt, vtique non minus per se atque antecedenter infallibilem esse, in rebus fidei, quam omnium Doctorum, qualibet ætate viuentium; quos cum vniuersa Ecclesia in doctrina fidei velut Pastores & Doctores audire & sequi teneatur, iuxta citatum locum, Apostoli Ephes. 4. profus necesse est, etiam secundum se habere auctoritatem infallibilem; ne alioqui tota etiam Ecclesia in fide necessariò errare teneatur; vt ex communi & certa rectè tradunt Canus lib. 8. loc. Theol. cap. 14. Gregorius de Valentia cit. tom. 3. d. 1. q. 1. p. 7. §. 46. aliique recentiores. At si de Patribus solum loquamur, qui sua scripta ad nos transmiserunt, etsi quidè negari non possit, eos, si consentiant, continere irrefragabile fidei argumentum à posteriori, & à signo; tum quia ab Ecclesia recepti sunt, & approbati: nec fas est eis in rebus fidei, & sacræ scripturæ interpretatione, aduersari; ex VI. Synodo act. 11. & 13. in epistola synodali Sophronij, vnde sumptus etiam est Canon 19. Trullanæ Synodi, item ex Concilio Lateran. vltimo act. 11. & Concilio Tridentino sess. 4. in Bulla Pij IV. per Pium V. renouata: Tum quia argumentum moraliter euidens præbent, eius fidei, quam tota Ecclesia Catholica, eorum tempore habebat: verius tamen videtur, eos, per se, & à priori infallibile fidei argumentum non præstare.

10 Ratio est. Quia isti, qui scripserunt, & sua ad nos scripta tranfmiserunt, non sunt omnes planè Doctores, qui vel qualibet, vel vna aliqua ætate in Ecclesia vixerunt; sed tantum aliqui, & fere pauciores ex illis; à quibus proinde, etiam si errassent, non erat necesse, totam eius temporis, quo scripserunt, Ecclesiam in

errorem induci: tamen si etiam vt sic præbeant argumentum plusquam moraliter certum, ac fidei proximum, si vnanimi consensu quippiam pro fidei dogmate tradant: secus si aliquid in rebus Philosophicis, seu aliquid, eorummet etiam iudicio, ad fidem non pertinens, solummodo opinentur. Atque ita cum S. Thoma hic art. 8. ad 2. & in 2. dist. 14. art. 2. Stapletono controu. 6. lib. 11. cap. 5. Cano lib. 7. loc. Theolog. cap. 3. Banne hic q. 1. a. 8. dub. 5. rectè notauit Gillius lib. 1. tract. 7. c. 13. Atque ita etiam intelligendum est Gabriel Vasquez hic disp. 12. num. 2 vbi docet, Patrum, nempe quorum libros habemus, consensum, ex se non habere, infallibilem auctoritatem: etsi Gregorius de Valentia tom. 3. disp. 1. q. 1. p. 7. §. 16. significare videatur, eorum etiam, qui scripserunt, Patrum, vnanimem consensum, in aliquo fidei dogmate, per se infallibilem esse.

Tertium est, quod propriè ad Scholasticos Doctores pertinet, & rectè notauit Gregorius de Valentia hic q. 1. p. 5. §. 1. Si quæ illoꝝ propria sint dogmata, etsi veteribus Patribus & Doctoribus non repugnantia, ea licet non omninò certam & infallibilem, vt dictum, grauem tamen habere auctoritatem. In quem sensum etiam idem author tom. 3. d. 1. q. 1. p. 7. §. 46. ait, *negare commune placitum scholasticorum Doctorum, valde esse temerarium*. Cui doctrinæ consentiunt etiam Vega lib. 9. in Concil. Trident. cap. 14. Bannes hic q. 1. a. 8. & fere Canus lib. 8. loc. Theolog. cap. 4. & lib. 12. cap. 7. alijsque recentiores. Vbi etiam præ oculis habendam, quod dicit S. Thomas hic art. 8. ad 2. argumentari ex auctoritate, esse maximè proprium huius scientiæ; eò quod principia huius doctrinæ per reuelationem habeantur: vt proinde quisque merito suas, quæ communi ac consentienti auctoritati Doctorum Scholasticorum refragantur, ratiunculas iure suspectas habere debeat, & potius captiuare intellectum, ad maius fidei obsequium, quam ex suo ingenio firmatas eiuscemodi Doctorum sententias impugnare. Hoc enim vt sæpè difficile non est, ita periculosum est.

Atque ex dictis intelligitur, non solum quantum eruditio consummato Theologo sit necessaria, in omni disciplinarum, præcipue Philosophicarum genere; sed & simul etiam, quod initio diximus; tamen si locorum Theologicorum numerus variè ab authoribus assignetur; id tamen non fieri ob aliquam rerum ipsarum diuersitatem: quasi ideo de re ipsa inter Doctores controuertatur; sed solum ex diuersa numerandi & distinguendi ratione, vt dictum, Plura de hac re in 2. 2.

DVBIVM II.

Quotuplex sit scripturæ sensus; & quam ad argumentandum efficax.

S. Thom. 1. p. q. 1. a. 9. & 10.

Pertinet quidem hæc res propriè ad Interpretes sacræ scripturæ. Sed quia Theologi Scholastici est, &

est, & illis ipsis, sua quibus in scriptura interpretanda nitantur, communia fundamenta explicata tradere; ac simul præcipui inter locos Theologicos, vti scripturam esse diximus, vim & efficaciam saltem in genere perspectam habere, necessarium est cum S. Thoma hoc loco, de ea ipsa re breuiter agere; quam sequentibus assertionibus, ita explicamus.

Assertio I. Scripturæ sensus rectè & adæquatè diuiditur in literalem, quem verba ipsa immediatè significant; quò etiam parabolicus pertinet: & in spiritualem; quem res per verba significatè significant. Ita S. Thomas hic q. 1. a. 10. in corp. & ad 3. vbi ita expressè de parabolico sensu loquitur; eademque est communis aliorum Doctorum, præsertim recentiorum sententia. Et sumitur eadem bimembris diuisio sensuum scripturæ ex S. Dionysio de cæl. hier. cap. 2. & epist. 9. ad Titum, Augustino lib. 1. de Genes. ad lit. cap. 2. & alijs Patribus, etsi de parabolico sensu dubiè locutus sit Alphonsus de Castro lib. 1. cont. hæres. cap. 3. de qua re plura Gabriel Vasquez hic disp. 15. cap. 4.

Probatum assertio. Quia omnis scripturæ sensus significari debet aliquo modo per scripturam, adeoque per verba scripturæ: sed tantum sunt duo modi generales, quibus aliquid significari potest per verba scripturæ; nimirum aut immediatè; & tunc est sensus literalis; aut mediatè, medianibus nimirum ipsis rebus per verba immediatè significatis; & tunc est sensus spiritalis. Vt V. G. quando in libro Genesis cap. 22. refertur història Isaac ab Abrahamo oblatis; vel in Exodo cap. 12. història agni paschalis; sensus quidem literalis, ac immediatè, per ipsa verba significatur ipsa història, quæ tunc temporis inter Abrahamum & Isaac gestæ est; vti & ritus ipse agni paschalis ab Hebræis eo tempore immolandi; at verò spiritaliter, per Isaac, resque ab eo gestas, vti & per agnum Paschalem, significatur Christus ipse pro salute totius humani generis in ara crucis immolandus.

Vbi notandum, quod optimè etiam dixit S. Thomas cit. art. 10. in corp. nimirum, quod *auctor sacre scripturæ, inquit, est Deus, in cuius potestate est, vt non solum voces ad significandum accommodet; quod etiam homo facere potest; sed etiam res ipsas. Et ideo cum in omnibus scientijs, inquit, voces significant, hoc habet proprium ista scientia, quod ipse res significat, & per voces, etiam significant aliquid.* Vbi proprium esse vult sacre scripturæ, ex mente ipsius authoris, rebus etiam ipsis aliquid significare; non quod alijs etiam scripturis id conuenire nullo modo possit; sed, quod in ipsis non possunt ita vniuersaliter omnia; & quidem futura etiam ipsa, quæ in hac, vel altera vita accident, infallibiliter significari. Qua etiam de causa, vt hoc obiter dicam, mihi quidem certè parum probantur ij, qui in sacris concionibus profanas etiam quaslibet històrias, ac sæpe etiam fabulas Poetarum, operose ad spiritualem sensum interpretari conantur; tanquam si salutis nostræ summa ex poetarum figmentis pendeat: qua re diuini verbi ac sacri Ministerij Maiestas nonnihil meo quidem iudicio violari videtur.

Nec diuersa est à literali ratio sensus parabolici, cuius sæpe in nouo Testamento est vsus; vt quando regnum cælorum comparatur grano sinapis; aut

fermento, aut thesauro in agro abscondito; aut cænæ siue nuptijs; aut decem virginibus; aut patrifamilias conducenti operarios; aut Domino peregre abeunti, &c. Nam & tunc verba immediatè significant illas res, de quibus in ipsa parabola est mentio; etsi quidem cum his ipsis rebus postea aliud quippiam, puta in propositis exemplis, regnum cælorum, comparetur; non quia hoc per illas ipsas res immediatè significetur; sed quia cum illis similitudinem habet. Vt quando hominem ob fortitudinem comparamus Leoni, vocem Leonis accipimus, vt sonat, ad literam, & quidem propriè, pro ipso animali, cui hominem conferimus. Secus est, quando hominem vocamus Leonem, vt mox dicemus.

Assertio II. Literalis scripturæ sensus adæquatè diuiditur in proprium, & improprium, seu figuratum. Ita S. Thomas hic cit. q. 1. a. 10. ad 3. & communis Doctorum. Probatum. Quia sensus literalis est ille, qui per verba ipsa immediatè significatur, vt dictum; at verò per verba scripturæ immediato significatu quædam significantur propriè; quando nimirum verba ipsa propriè vsurpantur; alia significantur impropriè seu figuratè; vt quando metaphoricè, aut per catachresin, vel metonymiam, &c. quippiam significant: Ergo necessariò duplex ille sensus literalis scripturæ admittendus est. Exemplum est v. g. quando Christus dicitur Leo, lapis angularis, &c. Tunc enim per voces illas, leonem & lapidem angularem, immediatè non significatur bestia illa irrationalis; aut substantia insensata; quam leonem, aut lapidem dicimus, malè enim diceremus, Christus est bestia irrationalis, aut substantia insensata, &c. sed significatur immediatè Christus ipse, non quidem propriè, sed metaphoricè, adeoque figuratè, ob similitudinem quandam, quam cum leone, vel lapide angulari habet.

Vbi etiam ex S. Thoma hic q. 1. art. 9. notandum, rectè & conuenienter diuina mysteria metaphoris enunciata, partim etiam occultata fuisse. 1. Causa necessitatis. Quia aliquando non possunt illa diuina nobis, qui à sensibus cognitionem haurimus, nisi eiusmodi similitudinibus corporum exponi, iuxta illud S. Dionysij cap. 1. cælest. hierarch. vbi ait: *Impossibile est nobis aliter lucere diuinum radium, nisi varietate sacrorum velaminum circumuolutum.* 2. causa utilitatis; tum vt ea facilius etiam à rudioribus caperentur; tum ad exercitationem studiosorum. 3. Causa honestatis & reuerentiæ; vt ab irrisoribus infidelium vindicarentur: iuxta illud Matth. 7. v. 9. *Nolite sanctum dare canibus.*

Assertio III. Sensus scripturæ spiritalis rectè & adæquatè diuiditur in Tropologicum, qui mores instruit; allegoricum, qui statum Ecclesiæ militantis respicit; significando nimirum aliquid gerendum, aut gestum in Ecclesia militante; & Anagogicum, qui ad statum & conditionem Ecclesiæ triumphantis pertinet. Ita S. Thomas cit. art. 10. in corpore; & est itidem communis Doctorum sententia: extantque hac de re vulgati illi versus:

Littera gesta docet: quid credas allegoria:

Moralis, quid agas: quò tendas anagogia.

Probatum. Quia sensus spiritalis scripturæ est, qu;

per res ipsas immediatè verbis significatas significatur, vt dictum: sed res per verba scripturæ immediatè significatæ quandoque significant aliquid, quod ad mores nostros informandos pertinet; vt est illud Deut. 2. v. 4. *Nō alligabitis bouitriturā;* quod sustentatione congruā Ecclesiæ ministris non denegādam significat, vt declarat Apostolus 1. Cor. 9. v. 9. Nonnunquam significant aliquid gerendum, aut gestum in Ecclesia militante; quemadmodum immolatio Isaac, & agni paschalis significabāt sacrificium crucis Christi, &c. duo filij Abraham, Isaac & Imael, duo testamenta, novum & verus: duo filij Isaac, nimirum Iacob & Esau, diuersam conditionem hominum prædestinatorum & electorum in hac vita, vt declarat Apostolus in epist. ad Rom. 9. & ad Gal. 4. Alia denique significant aliquid gerendum in altera vita ac statu beatitudinis; quemadmodum sabbatum diei septimæ à Deo institutum significat ipsam æternam requiem, iuxta Apostolū Heb. 4. v. 9 & 10.

Et verò sensum mysticum imprimis ac per excellentiam conuenire veteri testamento, patet ex illo Apostoli 1. Cor. 10. v. 11. *Hæc autem omnia in figura contingebant illis:* quanquam non ideo omnis planè veteris testamenti locus sensum spirituales habeat: quia in libris Prouerb. Eccl. Sap. Eccl. in Prophetis, ac passim etiam alibi, pleraque morum præcepta reperiuntur; ex quibus nemo sensum spirituales eruat. Et quod Apostolus dixit, ad res tantum in veteri testamento ex Dei voluntate gestas pertinet: quas quidem Gregorius de Valentia hic q. 1. p. 5. §. 3. putat vniuersim omnes spirituales habere sensum. Quod an etiam in rebus omnibus, post Babilonicam captiuitatem, V. G. circa Eldram, Nehemiam, Machabæos gestis, verum habeat, dubito.

Et confirmatur assertio ex S. Thoma loc. cit. vbi ait: *Sicut enim dicit Apostolus ad Heb. 7. Lex vetus figura est nouæ legis; & ipsa noua lex, vt dicit Dionysius cap. 5. Eccl. hierarch. part. 2. est figura futuræ gloriæ. In noua etiam lege ea, quæ in capite gesta, sunt signa eorum, quæ nos agere debemus. Secundum ergo quod ea, quæ sunt veteris legis, significant ea, quæ sunt nouæ legis, est sensus allegoricus; secundum verò quod ea, quæ in Christo sunt facta, vel in his, quæ Christum significant, sunt signa eorum, quæ nos agere debemus, est sensus moralis; prout verò significant ea, quæ sunt in æterna gloria, est sensus anagogicus.* Ita S. Thomas.

3 Obijci potest; per res in scriptura significatas, significari etiam posse aliquid gestum in altera vita, circa purgatorium, & infernum, animasque ac spiritus illic detentos; quæ tamen significatio tamen si spiritualis sit, sub nullo sensu spirituali ex tribus enumeratis comprehenditur. Responderi posset, statum animarum ac spirituum, qui in altera vita puniuntur, præsertim in inferno, rem talem non esse, quæ digna fuerit, ipsis etiam rebus in scriptura significatis significari. Sed potius respondetur. si quid eiusmodi rerum fuerit etiam spiritualiter significatum, eam significationem spectat ad sensum scripturæ anagogicum; quandoquidem torus alterius vitæ status ad maius beatorum gaudium, maioremque gloriam pertinet.

4 Assertio IV. Sensus accommodatius propriè non est verus aliquis sensus scripturæ; sed traductio verborum scripturæ à suo sensu, ad alienum, ab

autore Deo, non intentum. Colligitur ex S. Thoma hic cit. art. 10. qui nullam eiusmodi scripturæ sensus mentionem facit. Idem expressè, & ex communi docent Gregorius de Valentia hic q. 1. punc. 5. §. 3. & Gabriel Vasquez hic disp. 14. cap. 7. Exempla huius rei passim occurrunt apud SS. Patres; nec pauca in missis & officijs diuinis Ecclesiæ. Vt quando Ecclesia de quouis Confessore Pontifice canit: *Inuentus est iustus, & in tempore trucidia factus est reconciliatio:* quod Eccl. 44. v. 17. de solo Noe dicitur. Ex quo loco etiam iisdem confessoribus accommodatum est illud v. 20. *Non est inuentus similis illi, qui conseruaret legem Excellentis:* quod ibidem de solo Abrahamo dicitur. Et illud quod ibidem v. 25. de solo Isaac dicitur: *Benedictionem omnium gentium dedit illi, &c.* Item quando de quolibet Martyre canit: *Honestum fecit illum Dominus, & custodit eum ab inimicis, & a seductoribus tuauit illum: & dedit illi claritatem æternam. Descenditq. cum illo in foveam, & in vinculis non derelinquit eum, &c.* Quod partim de Iacob; partim de Ioseph dicitur Sap. 10. v. 12. & 14. Er rursum ex Eccl. 45. v. 14. *Corona aurea super caput eius, &c.* Item quando rursum de Confessore non Pontifice dicitur: *Iustum deduxit per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei, & dedit illi scientiam Sanctorum, &c.* quæ etiam de Iacob dicuntur Sap. 10. v. 10. Item quando de quolibet Sacerdote Pontifice canit: *Iurauit Dominus, & non penitebit eum, tu es Sacerdos in æternum, &c.* quæ alioqui ad Christum pertinere constat. Et plura habentur ex Eccl. 45. Simile est, quod de SS. Ioanne & Paulo canit Ecclesia: *Hi sunt duæ oliuæ, & duo candelabra, &c.* quod de Iesu Sacerdote filio Iosedech, & de Zorobabel duce Iuda, dixisse Zachariam cap. 4. multi existimant: vt & de Enoch & Elia, Ioannem, Apocal. 11.

Quo exemplo etiam Vasquez cit. disp. 14. cap. 1. vel ut certum tradit, etiam ipsos scriptores sacros interdum alterius antiquioris scripturæ sacra verba, per solam accommodationem referre. Imo Iansenius in Concordia Euangelica cap. 11. existimat, etiam ab Euangelistis, vel ipso etiam Christo, non raro verba scripturæ veteris Testamenti solum sensu accommodatitio vsurpari, etiam quando additur, fuisse impletum, quod hoc vel illo loco veteris Testamenti dicitur. Tale est illud Osee 11. *Ex Egypto vocauit filium meum.* Er rursum illud Ierem. 31. *Vox in Rama audita est, quod refert Matthæus cap. 2.* Item illud Matthæi cap. 15. ex Esa. 29. *Populus hic labijs me honorat.* Et illud Match. 13. ex Isai. 6. *Audite audietis, & non intelligetis;* & ex Psal. 77. *Aperiam in parabolis os meum:* quod ex parte sequitur etiam Vasquez cit. disp. 14. cap. 5.

Sed mihi verius videtur, quod docet Gregorius de Valentia q. 1. punc. 5. §. 3. cum aliis, apud Vasquez loc. cit. cap. 3. in scriptura noui Testamenti, non vsurpari verba scripturæ veteris Testamenti, solum in sensu accommodatitio: quia ad dignitatem scriptoris sacri pertinet, vt nihil alieno sensu, & à Spiritu sancto non intento vsurpauerit; nec difficile fuit Spiritui sancto, etiam illum ipsum sensum, quem posterior scriptor sacer intendit, iam ab initio præuidere, ac simul in ipsa antiquiori etiam illa scriptura intendere; præsertim cum ipse Euangelista, Matthæus in quibusdam eiusmodi testimonijs refe-

ferendis diserte asserat, antiqua oracula, & vaticinia Prophetarum fuisse impleta ijs ipsius rebz; ad quas illa verba accommodabat; vt agnoscat, ac propterea cum Iansenio vniuersim non sentit etiam ipse Vasquez cit. disp. 14. cap. 3.

Neque verò sensus accommodatitius propriè dicendus est ille, qui non fuit à scriptore Canonico primò intentus, esto fuerit intentus ab ipso Deo; sic enim admodum credibile foret, quod isti dicunt; scripturam veteris Testamenti sæpe in nouo solum sensu accommodatitio vsurpari: quando subinde verum etiam aliquem scripturæ sensum, ab ipso scriptore Canonico, ignoratum fuisse, tradunt. S. Thomas, quod lib. 7. q. 6. art. 14. & q. 4. de potent. art. 1. Molina hic q. 1. art. 10. Gillius lib. 1. tract. 7. cap. 3. num. 8. Sed quia sensus scripturæ vniuersim non ex calamitiferibentis, vti dicant, sed dictantis Spiritus sancti mente & sententia metiendus est, vt rectè etiam indiat S. Thomas hic q. 1. a. 10. ideo sensus ille, qui à scriptore quidem Canonico non fuit cognitus, nec adeo intentus; fuit tamen præuisus & intentus ab ipso Spiritu sancto, cum primum ipsa verba scriberentur, non est dicendus sensus accommodatitius, sed verus scripturæ sensus.

Imo etiam si per verba illa, quatenus primum scribebantur, non intendisset spiritus sanctus id, quod scriptor noui Testamenti ijs significauit; adhuc tamen dicendum non esset, ea verba sensu solum accommodatitio, in scriptura noui Testamenti vsurpari: quandoquidem nihilominus per ea verè ac ex mente spiritus sancti significaretur id, quod posterior scriptor sacer intendebat. Licet enim probabiliter fieri poterit, ut scriptor ipse sensum quandam alicuius scripturæ à spiritu sancto verè intentum non intelligeret, vt dictum, fieri tamen minimè potest, vt spiritus sanctus non intelligat, aut non intendat sensum illum, quem scriptor sacer à Deo inspiratus intendit, etsi quidem necesse minimè est, vt Deus etiam intendat omnem eum sensum, ad quem ab alijs, qui scriptores facere non sunt, successu temporis variè scripturæ locus quispiam esset accommodandus.

Accedit, quod Vasquez cit. disp. 14. cap. 6. non solum verba & sententias scripturæ, sed etiam exempla & historias hoc genere tractandi scripturam per accommodationem, ad suadendam virtutem, & vitia detestanda, vsurpari docet: cum tamen reuera hæc, vt cunque ad eiusmodi finem & institutum accommodentur, ad sensum tamen accommodatitium scripturæ propriè non pertineant. Quia exempla eiusmodi adducuntur iuxta verissimam & germanam verborum significationem, quam ex mente Spiritus sancti, & ipsius scriptoris sacri habent. Inde vero per modum consequentiæ, aut similitudinis aliquid aliud elicitur, vel suadetur; qui tamen reuera non est sensus scripturæ, nec verus, nec accommodatitius; sed quiddam ab vtroque diuersum, quod probatur sensu scripturæ, vel cum eo comparatur, vt superius etiam de parabolis diximus.

Illud postremò notandum hoc loco, ex Concilio Tridentino sess. 4. decreto de editione & vsu sacrorum librorum, grauius prohiberi, ne verba sacra scripturæ ad profana queq; accommodentur. Verba Concilij sunt: *Post hæc temeritatem illam reprime-*

re volens (Concilium,) quæ ad profana quæque conuertuntur & torquentur verba & sententia sacra scripturæ; ad scurrilia scilicet, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones, impias & diabolicas incantationes, diuinationes, sortēs, libellos etiam famosos; mandata & præcipit, ad tollendam huiusmodi irreuerentiam, & contemptum, ne de cætero quisquam quomodolibet verba scripturæ sacra ad hæc, & similia audeat vsurpare; vt omnes huius generis homines, temeratores & violatores Verbi Dei, iuris & arbitrij penis per Episcopos coarceantur.

Assertio V. Quilibet scripturæ locus habet suum sensum literalem; cui si quidem ex mente ipsius scriptoris sacri aliquid asserat, nunquam potest subesse falsum. Ita S. Thomas hic q. 1. a. 10. ad 1. & 3. vbi dicit, omnes alios sensus scripturæ fundari super literalem. Eadem est communis sententia, apud Gregorium de Valentia loc. citat. & Gabrielem Vasquez disput. 25. cap. 5. contra modum loquendi Lyrani prolog. 3. Postilla Bibl. vbi dicit, quosdam locos scripturæ solum habere spirituales sensum. Sed hic author sensum metaphoricum, seu figuratum confudit cum spirituali; cum tamen is reuera sit literalis, vt dictum assert. 2.

Ratio assertionis est. Quia nullus est locus scripturæ in quo non ipsa etiam verba aliquid immediate significant; quandoquidem nec mediatè quidem aliquid significare possent; nisi mediante re illa, quam immediate significant, vt patet ex eadem assert. 2. Accedit quod spiritualis sensus omnis nititur sensu literali; vt ex S. Thoma dictum. Nisi quis ergo penitus negare velit, locum aliquem scripturæ vllum habere sensum, (quod absurdissimum foret dicere) negare minimè poterit, locum omnem scripturæ habere suum sensum literalem.

Quod autem huic sensui subesse falsum non possit, ex dictis sequitur: quia hoc ipso, quod à Spiritu sancto per verba intentus est, non potest non esse infallibilis: quia Spiritus sanctus falsum docere aut testari non potest. Dixi tamen si quidem ex mente ipsius sacri scriptoris aliquid asserat. Nam si quid referatur pronunciatum solum ab alijs, V. G. illud à Iudeis dictum contra Christum, *Reus est mortis*, Item, *Nonne bene dicitur, quia Samaritanus es, & demonium habes?* &c. & similia, cum referantur solum à scriptore, non etiam asserantur ab eodem, aut ex mente eiusdem, vtique vera & infallibilia minimè sunt; licet infallibiliter verum sit, quod scriptor sacer asserit, hæc ita gesta vel dicta fuisse, &c.

Assertio VI. Possunt esse, ac re ipsa quandoque sunt, vnius & eiusdem loci Scripturæ, non solum in diuersis libris, vel partibus scripturæ, sed etiam in eodemque loco, plures sensus literales. Ita docet expressè S. Thomas hic quæst. 1. a. 10. in corp. vbi dicit: *Quia verò sensus literalis est, quem auctor intendit; auctor autem scripturæ Deus est, qui omnia simul suo intellectu comprehendit; non est in conueniens, vt dicit Augustinus 1. 2. Confess. si etiam secundum literalem sensum in vna litera scripturæ, plures sint sensus.* Idem docet S. Thomas q. 4. de potent. art. 1. & in 2. d. 12. a. 2. ad 7. Burgensis in addit. super vtriusque prologum Lyrani, Abulensis in cap. 13. Matth. q. 28. Alphonsus de Castro lib. 1. cont. hæres. cap. 3. Ioannes Driedo lib. 2. de script. sac. cap. 2. Ambrosiu,

Catharinus lib. de clau script. Salmeron prolegom. 8. & 9. Gregorius de Valentia hic q. 1. punct. 5. §. 3. Bellarminus lib. 3. de verb. Dei, cap. 3. Molina q. 1. art. 10. disput. 3. Gabriel Vasquez disput. 17. cap. 3. & communis DD. praesertim recentiorum contra Alensem 1. p. q. 1. memb. 4. a. 2. & 4. part. quaest. 15. memb. 4. a. 1. Albertum in sum. tract. 1. q. 5. Henricum Gandauensem in sum. art. 16. q. 2. & 3. Michaellem Medinam lib. 6. de fid. cap. 25.

8 Probatur assertio primò quibusdam exemplis ipsius scripturae. Nam illud Psal. 2. v. 7. *Filius meus es tu.* Et Isai. 53. v. 8. *Generationem eius quis enarrabit?* rectè tam de generatione Christi aeterna, quam temporali exponitur: vt & prior locus etiam de Christi resurrectione, à S. Paulo Act. 13. v. 33. Ita etiam illud Ioan. 11. v. 50. *Expedit, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat;* duplicem sensum habet, alium nimirum ex maligna mente Caiphæ, Christum ad necem postulantis; alium ex mente Spiritus sancti, necessitatem ac fructum mortis Christi ad totius humani generis redemptionem, propheticè, per os licet impium Caiphæ velut per asinum Balaam, significantis. Et vterque hic sensus simul ac semel à scriptore Canonico eo loco fait inuentus & expositus; prior quidem quasi recitatiuè, cum infallibili narrationis fide; posterior etiam significatiuè, & per modum docentis & approbantis: & similia passim alibi in scripturis inueniuntur.

Secundò probatur assertio ex SS. Patribus. Ita enim expressè docet S. Augustinus lib. 12. Confess. cap. 18. 30. & 31. In priori enim loco, circa ista verba: *In principio creauit Deus caelum & terram,* cum dixisset, de varia eius explicatione non esse contendendum, addit: *Qua mihi ardentè consenti, Deus meus lumen oculorum meorum, in occulto, quid mihi obest, eum diuersa in his verbis intelligi possit, quia tamen vera sunt: quid, inquam, mihi obest, si aliud ego sensero, quam sensit alius eum sensisse, qui scripsit? Omnes quidem, qui legimus, nitimur hoc indagare, atq; comprehendere, quod voluit ille, quem legimus. Et cum eum veridicum credimus, nihil quod falsum esse, vel nouimus, vel putamus, audeamus eum existimare dixisse. Dum ergo quisq; conatur id sentire in scripturis sanctis, quod in eis senserit ille, qui scripsit, quid mali est, si hoc sentiat, quod tu lex omnium veridicarum mentium ostendis verum esse, etiam si hoc non senserit ille, quem legis; cum & ille veram, nec tamen hoc senserit? Similia habet cap. 30.*

Et cap. 31. de iisdem verbis Genes. 1. differens, cum antea cap. 28. varias sententias retulisset, dum alius, ea verba in principio explicaret, in exordio rerum creaturarum, seu primò; alius initio temporis, alius in sapientia siue in Filio; ipse denique his verbis suam ea de re sententiam explicat: *Ita cum alius dixerit; hoc sentit, (Moyès) quod ego; & alius, imò illud, quod ego: religiosus me arbitror dicere, cur non vtrumq; potius, si vtrumq; verum est? Et si quid tertium, & si quid quartum, & si quid omnino aliud verum, quisi iam in his verbis videt, cur non illa omnia vidisse credatur, per quem vnus Deus sacras literas, vera & diuersa visuris multorum sensibus, temperauit? Ego certe, quod intrepidus de corde meo pronuntio, se ad culmen auctoritatis aliquid scriberem, sic mallem scribere, vt quod veri quisq; de his rebus capere posset, mea verba resonarent, quam vt vnã verã sententiam ad hoc apertius ponerem, vt excluderem cate-*

ras, quarum falsitas me non posset offendere. Nolo itaq; Deus meus, tam praecipue esse, vt hoc illum virum de te meruisse non credam. Sensit ille omnino in his verbis, atq; cogitauit, cum ea scriberet, quicquid hic veri potuimus inuenire, & quicquid nos non potuimus, aut nondum possumus, & tamen in eis inueniri potest.

Adeundem modum de libro Apocalypsis loquitur S. Hieronymus epist. 103. ad Paulinum: *Ioannes, inquit, tot habet sacramenta, quot verba: parum dixi pro merito voluminis, laus omnis inferior est: in verbis singulis multiplices latent intelligentiae, &c.* Id quod etiam de sensu literali intelligendum: nam quantum ad mysticum attinet, scriptura veteris testamenti, pluribus abundat. Similia habent S. Chrysostomus homil. 21. in Genes. & S. Basilii in prooemio lib. de Spiritu sancto, vbi admonet, expendendas esse in scriptura sacra, syllabas, literas, apices, nedum ipsas voces & orationes.

Tertiò idem probatur ratione. Nam & hoc, vt vnus scripturae locus plures sensus literales habeat, possibile est; potuit enim reuera Deus plura ac diuersa simul significare voluisse: & ad quandam dignitatem scripturae pertinet; quæ hoc ipso maiori vbertate significandæ veritatis abundat: vt etiam supra ex S. Augustino retulimus.

Quo loco tamen obseruandum, Gabrielem Vasquez cit. disp. 17. n. 9. cum existimaret, nullum sensum esse posse literalem, (scilicet mysticum & spirituale) nisi quem ipse etiam scriptor faceret, & non tantum Spiritus sanctus dictans scripturam intellexerit, & intenderit, non probare illud à S. Augustino cit. cap. 31. dictum: *Omnia & singula vera, quæ quisq; posset sub vna litera intelligere, ad sensum literalem pertinere. Difficile enim, inquit Vasquez, creditur apparet, voluisse Deum homini in historia sacra scribenti, tot tamq; varia reuelare; & vt ea simul significaret, ad scribendum impulisse.* Sed præterquam quod S. Augustinus cit. cap. 31. de Moyse scriptore Genes. eam planè habet existimationem, vt ex verbis citatis patet, equidem nil video, cur necesse sit dicere, scriptorem Canonicum omnem etiam literalem sensum scripturae intellexisse; vt rectè etiam video notatum à Christophoro Gillio tract. 7. cap. 4. num. 10. fauente eodem S. Augustino lib. 12. Confess. cap. 32. cum S. Thomas in 2. 2. q. 173. art. 4. & Caietanus ibidem rectè notent, nec ipsos quidem Prophetas semper intellexisse id, quod prophetabant; quod clarum fit exemplo Ionæ cap. 3. v. 4. vaticinantis: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subuertetur;* quam ille tanquam absolutam prophetiam accepit; cum tamen solum hypotheticæ esset; vt patet ex eodem & sequenti capite Ionæ 3. & 4. Idem colligitur ex Daniele cap. 12. v. 8. *Et ego audiui, & non intellexi.* Cum ergo sensus verus & literalis scripturae non sit ex scriptoris mente & notitia præcisè metiendus, nil obstat, plures sensus literales scripturae esse, licet non omnes ab ipso scriptore facti fuerint cogniti, & intenti, modo reuera intenti fuerint à Spiritu sancto; vt etiam superius dictum.

Illud tamen proculdubio verissimum est, dictum illud S. Augustini non ita laxè accipiendum, vt omnes illi sint veri sensus literales scripturae, quot quot verum aliquid continent, & vtcunque verbis scripturae significati fuisse ab aliquo existimentur, sed videndum est, an omnibus spectatis, si antecedentia ni-

tia nimirum & consequentia conferantur, aliaque circumstantiæ diligenter expendantur, sensus illi in eum locum, seu verba scripturæ, de quibus agitur, secundum literam quadrare possint. Quod si sita esse deprehensum fuerit, nil obstat, quo minus cum S. Augustino sentiamus, omnes eos sensus à spiritu sancto intentos, verosque proinde sensus literales scripturæ esse: Vti equidem contra Sectarios differens docere soleo, illud, *Hoc facite*, Luc. 22. v. 19. rectè ita explicari, vt & per vocem *Facite*, (vstitissima & scriptorum profanorum, & ipsius scripturæ phrasi, tam in sermone latino, quam græco, & hebraico) idem significetur, quod sacrificare, nimirum corpus, de quo antea immediatè sermo fuerat, & simul generale detur præceptum faciendi id, quod Christus fecerat, benedicendo nimirum panem, & distribuendo, &c.

Obijci potest contra positam assertionem; varietatem & pluralitatem sensuum parere æquiuocationem; quæ impedit vires argumenti. Respondetur, negando assumptum; modo confert, quoniam sensu verba ad argumentum accommodantur. Nam, etiam æquiuoca verba vim argumentationis minime impediunt; si modo determinatè constet, quo sensu determinatè verba æquiuoca vsurpentur: ita vt quamuis secundum se æquiuoca sint, æquiuoce tamen non vsurpentur. Non magis impedit argumentationis efficaciam multiplicitas sensus spiritualis adiuncti ad literalem: quia hi duo sensus subordinantur, spiritualis enim fundatur in literali, vt respondet S. Thomas cit. a. 10. ad 1. Quare etiam Aristoteles lib. 4. Metaph. rex 10. ait: *Nihil autem differt (siue interest) etiam si plura quis significare dicat: solum autem sine determinata.*

10 Assertio VII. Non tantum sensus literalis, sed etiam spiritualis & mysticus, efficax argumentum. Theologo præstat, cum de eo conlatur: à toto genere tamen spiritualis sensus paruum; accommodatius per se nullum ad probandum habet momentum. Prima pars, quod sensus literalis efficax argumentum Theologo præstat, est S. Thomæ hic q. 1. a. 10. & communis ac certa omnium Doctorum, & patet ex assert. 5. quod tamen intellige, si de tali sensu constet, iuxta dicta dub. præced.

Secunda pars rectè asseritur à Gregorio de Valentia hic cit. q. 1. p. 5. §. 3. Vasquio disp. 16. cap. 5. Lorino in Act. Apost. cap. 2. v. 31. Gillio tract. 7. cap. 5. & alijs recentioribus communiter, & colligitur ex S. Augustino epist. 48 ad Vincentium. vbi ait: *Quis autem non nisi impudè: stime nitatur, aliquid in allegoria positum per se interpretari, nisi manifestissima habeat testimonia, quorum lumine illi stentur obscuræ? Ratio est. Quia etiam hic sensus est à spiritu sancto intentus: Ergo ex se infallibilis, adeoque etiam ad argumentandum efficax, si de eo conlatur. Exemplum passim habemus in scriptura. Illud enim de agno paschali dictum Exodi 12. v. 47. *Os illius non confringetis*, seu, *Os non comminuetis ex eo*, mysticè per allegoriam ad Christum applicatur Ioan. 19. v. 36. Et illud Deuter. 25. v. 4. *Non alligabis os boni trituri anti*, ad Operarios Euangelicos 1. Cor. 9. v. 9. Ex quibus proinde locis, alijsque similibus, mystico sensu intellectis, efficax argumentum etiam ad fidei dogmata probanda petere possumus. Et si fatendum, cum ex*

figura veteris testamenti, in nouo testamento explicatæ, argumentum petitur, iam non à solo sensu mystico, sed literali quoque, declarante mysticum, argumentum desumi. Et fieri tamen interim possit, vt de sensu mystico etiam aliunde, videlicet ex communi interpretatione SS. Patrû, aut Ecclesiæ declaratione constaret; vt rectè etiam notarunt citati.

Tertia pars asseritur à S. Thomæ hic q. 1. a. 10. ad 1. vbi dicit, *ex solo sensu literali posse argumentum trahi, non autem ex his, quæ secundum allegoriam dicuntur.* Idem docent omnes Theologi veteres, cum S. Augustino loc. cit. & Dionysio in epistola ad Polycarpum, vbi dicit, *Mystica Theologica non arguit*; & cum Hieronymo lib. 2. in cap. 13. Matthæi, qui ait: *Plus quidem sensus, sed nunquam parabola, & dubia enigmatica intelligentia, potest ad auctoritatem dogmatum proficere.* Quos tamen absolute loquentes ad supradictam moderationem rectè interpretantur citati. Idem habet Apologia Confessionis Augustinæ titulo de sacrificio Missæ, vbi dicitur: *Allegoria non parum firmas probationes.* Quamquam interem Lutherani parum memores suæ huius doctrinæ, quando de Pontifice agendum est, perpetuis, iisque plerumque ineptissimis allegorijs, ex Daniele & Apocalypsi petitis, conuincere se posse temerè existimant, Romanum Pontificem esse Antichristum, ut part. 2. Anatom. Confess. Augustinæ demonstr. 5. §. 22. à num. 238. fufius ostendi. Ratio huius partis est; quia regulariter & à toto genere, non constat in particulari de sensu mystico cuiusque loci scripturæ; & si quando constat, iam non tam ex spirituali, quam literali petitur argumentum, vt dictum.

Quarta pars est mens S. Thomæ loc. cit. & communis doctrina, quam tradit etiam Vasquez cit. d. 14. cap. 7. Probat. Quia accommodatius sensus, nullo modo est intentus ab auctore spiritu sancto, loquendo propriè de sensu accommodatitio verborum scripturæ: secus est de exemplorum & parabolarum accommodationibus, vt notauit Vasquez ibidem; sed qui sensus non est propriè accommodatitius scripturæ, vt superius dictum.

Atque ex his colligitur, quid sentien dum de alijs quibusdam partitionibus, seu enumerationibus sensuum scripturæ, ab aliquibus nonnunquam afferri solitis. Prima est, quam ex S. Augustino lib. de vtilit. cedendi refert S. Thomas hic q. 1. art. 10. argum. 2. vbi dicit Augustinus, scripturam veteris testamenti quadrifariam tradi, scilicet secundum historiam, secundum ætiologiam, secundum analogiam, secundum allegoriam. Quam doctrinam explicans S. Thomas ibidem ad 2. rectè ait, illa tria historiam, ætiologiam, & analogiam, hoc loco, ad vnum literalem sensum pertinere, adeoque non differre, nisi materia. Nam historia est, vt ipse Augustinus exponit, cum simpliciter aliquid proponitur: ætiologia vero, cum causa dicti assignatur; sicut cum Dominus assignauit causam, quare Moyses permisit licentiam repudiandi uxores; scilicet propter duritiam cordis ipsorum. Matth. 19. Analogia vero est, cum veritas vnius scripturæ ostenditur veritati alterius non repugnare. Sola autem allegoria inter illa quatuor, pro tribus spiritualibus sensibus ponitur. Ita S. Thomas.

Secunda diuisio, est Hugonis Victorini in prolog. lib. 1. de sacramentis, cap. 4. vbi tam spirituales, quam literales scripturæ sensus commemorans, tres solum

sensus scripturæ distinguit, scilicet historicum, allegoricum, & tropologicum. Qui itidem sub sensu allegorico etiam anagogicum comprehendit: vt rectè etiam notauit S. Thomas ead. q. 1. art. 10. ad 2. Reliqui ex ijs, quæ mox subiiciam, intelliguntur.

Tertia diuisio est, quam tradunt Eucherius in præfatione libri spiritualium formarum, & Cassianus collat. 1. 4. cap. 8. vbiasserunt, quatuor esse genera illustrandi sacram scripturam, e quibus deducitur illa diuisio, qua sensus scripturæ immediatè diuiditur, 1. in historicum. 2. in tropologicum, seu morale, quoad vitæ emendationem refertur. 3. in allegoricum, quando in gestorum narratione & historia mysterium aliquod fidei nostræ continetur. 4. in anagogicum, qui refertur ad ea, quæ sunt æternæ beatitudinis. In qua diuisione, sensus historicus literalem complectitur; cæteri ad spirituales referri videntur, iuxta dicta asserit. 3.

Nec verò vt docet S. Thomas q. 1. a. 10 ad 1. quicquam sub spirituali sensu continetur fidei necessariam, quod scriptura per literalem sensum alicubi manifestè non tradat. Eisdemque sensus quatuor nonnullis videtur indicare S. Augustinus lib. 1. in Genes. ad lit. cap. 1. vbi ait: *In libris omnibus sanctis inueniri oportet, quæ ibi æterna inueniuntur, quæ facta narrentur, quæ futura prædicantur, quæ agenda præcipiuntur, vel monentur*: quanquam Augustinus hoc loco ad solam materiam diuersitatem respexisse videtur: nec tamen ideo penes eam sensum scripturæ in totidem membra partitur, vt pluribus perlequitur Vasquez disp. 16. cap. 2.

D V B I V M III.

An etiam Conclusio Theologica ex duabus reuelatis, aut vna reuelata, & altera naturaliter euidente deducta, possit esse principium Theologica argumentationis.

S. Thom. 1. p. q. 1. a. 8.

Sermo est de principio Theologiæ proprio, & proprio Theologico; cuiusmodi cum sit sola veritas fidei, seu principium reuelatum diuina fide creditum, vt dictum hic dub. 1. & quæst. 3. dub. 2. perinde est, ac si in proposito quæretur, An conclusio Theologica ex duabus reuelatis, aut vna reuelata, & altera naturaliter euidente deducta, possit etiam ipsa immediatè per fidem credi.

Ante omnia vero distinguendum est inter conclusiones Theologicas immediatè reuelatas, & alias immediatè non reuelatas. Vtræque enim subinde Theologus per discursum verè Theologicum colligit & infert; vt de posterioris generis est perse manifestum; de prioris generis patet exemplo Christi, qui resurrectionem mortuorum probauit ex alio quodam principio reuelato; nempe quod Deus in scriptura etiamnum dicatur Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob, &c. vt dictum superius q. 2. dub. 1.

idemque expressè docet S. Thomas hic q. 1. art. 8. idque tunc maximè oportunitate est, quando agitur contra aduersarium, qui cum vnum principium reuelatum admittat, v.g. scripturam, alterum negat; v.g. traditionem, vt pluribus dictum cit. q. 2. dub. 1.

Neque verò propterea confunditur habitus fidei cum habitu Theologiæ. Nam etsi hoc casu idem sit obiectum materiale complexum vtriusque habitus (quod etiam in diuersis habitibus naturalibus sæpe accidit) tamen ratio formalis assentiendi semper manet diuersa: ita vt eidem propositioni assentiamur per fidem, vt simpliciter reuelatæ; per Theologiam verò, vt contentæ in altera reuelata, seu propter reuelationem alterius præmissæ, ex qua hæc deducitur. Itaque nullum est dubium, quin conclusio Theologica per se immediatè reuelata possit esse principium alterius Theologica conclusionis; non quidem, vt est conclusio Theologica; sed vt est propositio fidei. De alijs verò conclusionibus Theologicis immediatè non reuelatis est controuersia; quæ licet in materia de fide pertractari soleat, tamen etiam hoc loco non incommode examinatur.

Prima igitur sententia asserit, non posse nos talibus conclusionibus immediatè per fidem assentiri; sed solummodo vel per habitum Theologiæ, vel per prophetiam, aut prudentiam infusam. Ita Bannes 2. 1. q. 1. art. 1. licet idem Bannes hic q. 1. art. 3. dicat, non esse necessarium ad conclusionem Theologicam, quod vtraque, vel altera præmissa sit immediatè de fide, imò contingit, inquit, *vtramque vel alteram esse etiam conclusionem Theologicam*. Vbi hic author concedit, posse nihilominus talem conclusionem, esse principium Theologiæ argumentationis; non vltimatum scilicet; sed immediatum & quasi secundarium; sicut & in scientijs rectè assumitur pro principio secundario, conclusio in eadem scientia demonstrata. Eiusdem sententiæ est Molina hic quæst. 1. art. 2. disput. 1. vbi addit, etiam conclusionibus ab Ecclesia ex reuelatis definitis, non assentiri nos immediatè habitu fidei. Idem significat Zumel hic q. 1. a. 1. quæstione 2.

Secunda sententia distinguit. Ait enim talem conclusionem de fide esse, & posse per fidem credi, si deducatur ex duabus præmissis reuelatis; aut saltem ex vniuersali reuelata; non autem si ex particulari reuelata, & altera euidenti deducatur. Ita Gregorius de Valentia tom. 3. q. 1. p. 2. Exemplum prioris est: Omnis homo ritè baptizatus est in gratia: hic infans à me est ritè baptizatus: Ergo est in gratia. Exemplum posterioris: Omnis homo est risibilis: Christus est homo: Ergo Christus est risibilis.

Tertia sententia vniuersim affirmat, tales propositiones posse per fidem credi. Ita sentit Scotus in 3. d. 34. & 35. q. vn. relatus supra q. 2. dub. 1. Idem docet expressè Aureolus q. 1. prolog. dub. 2. art. 2. qui tamen vltèrius etiam progressi sentiunt, non dari habitum Theologiæ distinctum à fide, quo assentiamur cuiusmodi conclusionibus, vt dictum q. 2. dub. 2. Eandem tertiam sententiam tuentur Andreas Vega lib. 1. in Concil. Trident. cap. 29. Canus lib. 6. loc. Theolog. cap. vltimo ad 10. Bellarminus lib. 3. de Eccles. cap. 15. & lib. 3. de Iustificat. cap. 8. & lib. 4. de amiss. grat. cap. 11. Gabriel Vasquez hic disput. 5. cap. 3. & disput. 7. num. 7. Arragonius 2. 2. quæst.

11. artic. 2. Albertinus tom. 1. princip. 3. coroll. 3. punct. 2.

Assertio I. Assensus conclusionis Theologicæ qua talis, nimirum vt formaliter deducta ex principijs reuelatis, non est assensus fidei, sed solum Theologicæ; adeoque nec conclusio Theologica, qua talis, est propositio fidei, aut principium proprium & vltimum Theologicæ argumentationis. Est communis, vt dictum cit. q. 2. dub. 2. & quæst. 3. dub. 2. & paulo post magis patebit, contra Scotum & Aureolum, locis cit. quibus Albertinus tom. 1. princip. 3. coroll. 1. num. 7. addit Canum lib. 1. 2. loc. cap. 1. 2. sed quem iuxta communem rectè interpretatur Vasquez infra. Probat. Quia habitus fidei & Theologicæ sunt distincti, vt ex communi dictum cit. q. 2. dub. 2. & q. 3. dub. 2. Ergo etiam actus & assensus vtriusque habitus. Cum ergo constet ex dictis ibidem, assensum, quo assentimur eiusmodi conclusionibus vt deductis ex principijs reuelatis, esse Theologicæ, non poterit esse assensus fidei. Et confirmatur. Quia habitus fidei non est discursiuus; & licet propositio- num quarundam ad fidei motiua spectantium, præuium assensum requirat; non tamen eum requirit, velut rationem assentiendi; alioquin enim non posset esse certior eiusmodi præuijs assensibus: sed requirit tantum velut conditionem applicantem rationem formalem assentiendi; quæ est immediatè ipsa reuelatio veritatis creditæ, cum tamen ipsa ratio assensus Theologici sint præmissæ seu principia reuelata; quibus proinde idem assensus nititur tanquam propria ratione formali obiectiua, vt dictum cit. q. 3. dub. 2.

Atque idem diferimen inter assensum fidei & Theologicæ, authores citati, etsi verbis non nihil diuersis optime tradiderunt. Vasquez cit. cap. 3. num. 7. cum dixisset, assensum conclusionis Theologicæ, quatenus infertur ex præmissis de fide, vel ex altera de fide, & altera naturali, non esse assensum fidei infuse; sed aut inferiorem assensum præmissarum; aut altioris rationis, ex hys; & Cani, ac V. g. l. c. sententia subiicit: *At verò Canus & Vega, præter hunc assensum, qui fit per discursum, & dicitur Theologicus, contendunt esse alium proxime productum lumine fidei; qui tanquam conditionem præcedentem postulat assensum Theologicum; etiam si hic sit minus certus, quam assensus fidei.* Et disp. 7. num. 7. ait, prius esse deduci conclusiones, quam illis assentiri fide infusa.

Gregorius de Valentia cit. tom. 3. q. 1. punct. 2. ad 3. his verbis eandem rem explicat: *Si quis assentiretur Theologicæ conclusioni ex vi bonitatis consequentiæ, & ex euidentiā alterius præmissæ, tunc illum assensum non elici à fide, sed à Theologia; cum verò posita euidentiā illius minoris, constat iam illi homini, conclusionem illam contineri implicite in maiori præmissa de fide, liberum esse ei assentiri illi conclusioni per habitum etiam fidei.* Et infra addit: *In eo casu assensum præmissæ, non habere se vt præmissam vel discursum; sed vt conditionem sine qua non.*

Albertinus loc. cit. in eadem assertionem explicanda his verbis vtitur: *Conclusionem Theologicam vt deductam ex præmissis non esse de fide, nec credi per fidem; quod probat toto fere coroll. 1. eandem tamen conclusionem, vt explicatam per præmissas discursus Theologici esse de fide; quod probat cit. coroll. 3. Vbi etiam num. 3. hoc diferimen esse docet inter conclusionem Theo-*

logicam, vt deductam, & vt explicatam; quia deducta, vt sic formaliter innititur discursui naturali (seu ipsis principijs discursus) tanquam rationi formali assentiendi: at verò conclusio Theologica, vt explicata, non innititur discursui (seu principijs discursus) tanquam rationi formali; sed tantum illum prærequirit, tanquam conditionem explicantem illam conclusionem. Ex quibus patet, hos quidem authores eo conuenire, vt doceant, conclusionem Theologicam posse etiam per fidem credi; attamen propterea minimè sentire, aut fidem ipsam esse discursiuam, aut Theologiam supernaturalem esse eundem habitum cum fide infusa.

Assertio II. Supposito discursu & assensu Theologico (in quo videl. vel præmissa vtraque sit reuelata, vel vna reuelata, & altera naturaliter euidens) velut conditione applicante rationem formalem fidei, omnis conclusio Theologica etiam immediatè & secundum se per fidem credi; adeoque verum & proprium principium Theologicæ argumentationis esse potest. Ita authores tertiæ sententiæ, Probat. Quia omnis propositio diuinitus reuelata, & vt talis sufficienter proposita, potest per fidem credi, vt suppono ex materia de fide: at omnis eiusmodi conclusio Theologica est diuinitus reuelata, & vt talis sufficienter proposita: Ergo potest per fidem credi. Minor quoad primam partem probatur. Quia quisquis reuelat aliquid, reuelat etiam quantum in se, id quod cum eo necessario ac euidenter est connexum; ac proinde omnis veritas necessario & euidenter connexa cum veritate reuelata, est etiam reuelata: sed conclusio Theologica est necessariò & euidenter connexa cum propositione reuelata; eo ipso quod ex hac, adiuncto alio principio euidenti, per euidentem consequentiam inde deducitur: Ergo propositio Theologica est etiam reuelata. Altera pars minoris probatur. Quia per ipsum discursum Theologicum certò innoscit, conclusionem Theologicam contineri in propositione reuelata, & cum ea esse necessariò & euidenter connexam: Ergo hoc ipso sufficienter proponitur vt reuelata.

Confirmatur assertio ex S. Gregorio Nazianzeno orat. 5. de Theol. 5. docente, ea quæ colliguntur ex scriptis, perinde habenda esse, ac si essent scripta. Verba eius cum Aduersario pro diuinitate Spiritus sancti disputantis, inter alia sunt hæc: *Quod sit bis quing, aut bis septem dicente, decem aut quatuordecim ex tuis verbis colligerem; aut ex eo, quod animal ratione præditum & mortale diceret, hominem esse concluderem, an tibi viderer delirare? Nequaquam profecto; cum tu dicerem. Neq. enim verba magis sunt eius, qui loquitur, quam illius, qui loquendi necessitatem simul affert. Quemadmodum igitur hic non ea magis, qua dicuntur, quam qua intelliguntur expendere; eodem modo nec si quid aliud eorum, quæ vel nullo modo, vel certè non satis aperte dicantur, ex scriptura tamen intelligi, colligi, reperire, tam se nominum syncopantem pertrimescerem, vt à pronuntiatione ipsa resisterem.*

Contra hanc assertionem, eiusque probationem obijci potest primò. Si conclusio Theologica est etiam reuelata, & per discursum Theologicum sufficienter proponitur vt reuelata, sequitur, supposito eo discursu Theologico, posse nos, omisso assensu Theologico, conclusionem ita deductam statim assentiri

per

per ipsam fidem; esto ratio assentiendi non sit discursus, vel præmissa ipsius discursus, sed sola reuelatio diuina.

6 Respondetur, sequelam esse dubiam. Vasquez enim loc. cit. planè significat, ipsum quoque assensum Theologicum conclusionis præsupponi ad assensum fidei; certè quidem id ordinariū esse, & homini magis connaturale negari non potest; probabiliter videri potest etiam necessarium, iuxta eorum saltem sententiā, qui docent, supposito discursu, hominem necessario assentiri conclusioni deductæ, tam quoad exercitium, quam quoad specificationem. Nihilominus tamen æquè probabile videtur, id quod Gregorius de Valentia loc. cit. satis aperte indicat, posse absolute loquendo, discursui Theologico, qui est in præmissis, omisso assensu Theologico, immediate statim succedere assensum fidei: quod eo probabilius erit, si supponamus, supposito quolibet discursu manere libertatem assentiendi conclusioni quoad exercitium; quod probabilius videtur. Nam si potest omnino prætermitti assensus Theologicus, etiam supposito discursu Theologico; ergo poterit pro arbitrato etiam statim elici assensus fidei; cum ratio formalis fidei applicata intelligatur conclusioni, non proprie ex assensu Theologico conclusionis, sed ex præmissis.

Obijcitur secundò. Intellectus in assensu conclusionis confectatur omnem certitudinem, & perfectionem possibilem, quam assensus ipse habere potest ex præmissis, ut dictum supra q. 3. dub. 2. sed maior est perfectio assensus fidei, quam Theologia: Ergo illum semper & necessariò eliciet, supposito discursu, etiam prætermisso isto.

7 Respondetur, maiorem esse veram, in eodem genere assensus manendo, & seruata proportione: hoc est, si assensus nitatur præmissis, ut ratione formali assentiendi, tum eam certitudinem habebit & perfectionem, quam habere potest assensus eiusmodi discursiuus ex vi præmissarum; si verò tantum utatur præmissis, ut conditione applicante aliam rationem assentiendi, tunc omnem habebit certitudinem ac perfectionem, quam ex sua ratione formali obiectiua habere potest, supposito assensu præmissarum velut conditione applicante: non tamen est necesse absolute, ut intellectus supposito discursu, in assensu veritatis illatæ, de genere assensus discursiuus, eoque prætermisso, immediate ad aliud genus assensus non discursiuus transeat; imò naturale est homini, ut supposito discursu, eliciat assensum nitentem præmissis, ut ratione assentiendi; ut antea dictum.

Obijcitur tertio. Omnis assensus fidei immediate est propter diuinam reuelationem, ex dictis supra quæst. 3. dub. 2. Ergo omnis propositio fidei debet esse immediate reuelata; qualis non est conclusio Theologica.

Respondetur, negando consequentiam. Potest enim aliquis, supposito discursu Theologico, immediate assentiri alicui veritati propter diuinam reuelationem; etiam si illa non sit immediate reuelata: nam ad illud sufficit, ut immediate moueat ipsa diuina reuelatio; esto hæc ipsa non denominet aut afficiat ipsam veritatem, nisi alia mediante. At dicit aliquis: Ratio formalis fidei est reuelatio ipsius in se veritatis, quæ creditur: Ergo debet ipsa in se,

esse reuelata. Respondeo; si vocata in se, neget & excludat medium, in quo reuelata sit, falsa est vtraque enuntiatio: si autem tantum abstrahat & præscindat à medio, in quo reuelata sit; conceditur vtraque; quia etiam conclusioni Theologica assentimur, ut reuelata in se, hoc est, de qua verè dicere possumus, esse reuelatam, etsi non sit reuelata sine medio, sed in alia.

Obijcitur quartò. Ea propositio non est de fide, quam quis potest sine hæresi negare, etiam stante propositione eiusdem sufficienti, quæ velut credenda proponitur: sed conclusio Theologica citra hæresin potest ab aliquo negari, etiam stante propositione eiusdem sufficienti, facta per discursum Theologicum: si quis nimirum neget præmissam naturalem, quamuis euidentem; aut etiam ipsam consequentiam, quantumuis euidentem. Ergo, &c.

Respondetur ad minorem, nec præmissam, nec consequentiam negari posse ab eo, cui earum vtraque euident est, ut supponitur: quod si neutra, aut aliqua earum alicui verè non sit euidentis, iam huic conclusio eiusmodi Theologica eo quidem discursu nondum erit sufficienter proposita.

DVBIVM IV.

An etiam sequatur conclusio necessaria, seu certa de fide; si in discursu Theologico præmissa naturalis sit, vel de Inesse tantum, vel moraliter certa.

Ad S. Thom. 1. p. q. 1. a. 8.

DVplex est sensus huius quæstionis; prout etiam conclusio ipsa, eiusque certitudo dupliciter considerari potest. Primò enim considerari potest ipsa conclusio solum obiectiue, & secundum se, abstrahendo ab assensu, quo ei assentimur: qua ratione sensus quæstionis est iste; vtrum talis conclusio deducta ex vno principio reuelato, & altera præmissa naturali, quæ sit vel de inesse tantum, ut dialectici loquuntur, (hoc est absolute & secundum se vera, etiam si nos de ea nullam euidentiam aut certitudinem habeamus) vel moraliter certa, sit de fide certa, & infallibilis obiectiue; seu an ipsa secundum se habeat immutabilitatem & necessitatem saltem hypotheticam, & fundatam in diuina præscientia reuelante; siue interim nos sciamus, esse reuelatam, siue non. Secundò considerari potest conclusio ratione assensus, quo ei assentimur: ita ut quæstio sit, vtrum assensus ipse talis conclusionis sit, aut esse possit in nobis verus fidei assensus, habens omnem certitudinem formalem tam adhesionis, quam infallibilitatis, quæ fidei propria est: cum qua quæstione coincidit illa, quam nonnulli recentiores sub his terminis proponunt, qualis nam debeat esse præmissa naturalis, ad hoc, ut sufficienter explicet conclusionem de fide; ita nimirum ut sit certa de fide certitudine formali etiam adhesionis. Et de primo sensu quæstionis non est magna difficultas, ut dicemus.

Circa secundum autem quæstionis sensum sunt duæ sententiæ: Prima requirit, ut præmissa naturalis

expo-

exponens conclusionem de fide, sit simpliciter evidens, cui non possit vllō modo subesse falsum; adeoque non existimat hæc sententia, sufficere certitudinem moralem. Ratio esse potest: quia alias viri admodum pii nonnunquam credere fidei certitudine possent, se esse in gratia, etiam citra peculiarem Dei reuelationem: quod tamen est aperte contra Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 9. vbi dicitur: *Nulum scire valere, certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.* Atque ita videntur sentire Vega lib. 9. in Concilio Tridentinum cap. 29. & Gregorius de Valentia tom. 2. d. 8. quest. 4. punct. 4. & a potiorij, qui simpliciter negant conclusiones Theologicas (immediate non reuelatas) posse per fidem credi, quos retulimus dub. præcedenti.

Secunda sententia simpliciter concedit, sufficere certitudinem moralem. Ita Bartholomæus Medina, in 1. 2. q. 112. art. 5. conclus. 3. & significat Bellarminus de Iustitia lib. 2. cap. 8. Eandem sententiam sequitur tandem etiam Albertinus tom. 1. princip. 3. coroll. 3. num. 7. & 14. cum hæc tamen limitatione, vt & præmissa illa naturalis sit de obiecto particulari contingente; & aliunde non constet, Deum nolle includere implicite, in præmissa de fide reuelata, conclusionem Theologicam; quod dicit propter argumentum primæ sententiæ. Ratio huius sententiæ est; quia alias non possemus fide diuina credere, Concilium Tridentinum esse infallibile; Pontificem, pro tempore existentem, esse verum Pontificem. Vtraque enim hæc conclusio pendet ex aliqua præmissa, quæ non nisi moraliter certa esse potest; nimirum & Concilium illud legitime fuisse congregatum atque approbatum; & hunc legitime fuisse electum, siue ab Ecclesia acceptatum, &c.

Possit etiam tertio aliquis forsitan existimare, ad hoc, vt quis conclusioni tali per fidem assentiri possit, sufficere, vt præmissa naturalis sit probabilis: quia eo ipso sit probabilis, adeoque credibile, aliquid vt in præmissa reuelata virtualiter contentum, ibidem reuelatum esse; quod significat Palatius citatus infra assert. 2.

Pro resolutione quæstionis in hoc posteriori sensu, notandum, certitudinem moralem non consistere in indiuisibili; nec vnus plane esse modi ac rationis; sed magnam habere latitudinem ac varietatem. Quædam enim cum quadam morali euidentiâ coniuncta est, quæ non sinit nos moraliter vllō modo formidare de opposito: qualis cernitur in hoc assensu, Romam, Constantinopolim esse, vel fuisse, Ciceronem Romæ Oratorem, Casarem Dictatorem seu Imperatorem fuisse, &c. Alia tamen si careat omni aë nulli dubitatione & formidine, tamen non excludit omnem omnino facultatem moralem formidandi de opposito; qualis est v. g. in hoc assensu, hæc hostiam esse verè consecratam; hunc puerum à tuo parcho esse verè baptizatum: quali etiam certitudine credimus, hos vel illos esse nostros parentes, consanguineos, &c. His positis, iuxta priorem quæstionis sensum, est

3 Assertio I. Omnis propositio siue conclusio, ex vna reuelata, & altera de inesse, seu materia sit necessaria, seu contingens; & siue ipsa eius veritas nobis sit evidens, siue non sit, euidenter deducta, habet

certitudinem obiectiuam fidei, siue certitudinem infallibilitatis, & immutabilitatis, fundatam in diuina præscientia reuelante. Est communis sententiæ; cui quod sciam nullus Doctorum aduersatur. Probatum manifestè. Quia quicquid subest diuina præscientiæ reuelanti, habet certitudinem seu necessitatem fundatam in diuina præscientiâ; vt patet: omnis eiusmodi conclusio ex vna reuelata, & altera de inesse (quæ est, & supponitur vera) euidenter deducta, subest diuina præscientiæ reuelanti: Ergo habet certitudinem obiecti fidei, siue certitudinem infallibilitatis & immutabilitatis, fundatam in diuina præscientiâ reuelante. Minor probatur. Quia omne à parte rei necessariò (saltem ex hypothesi) connexum cum principio reuelato, subest ex eadem hypothesi, diuina præscientiæ reuelanti: non enim nescire potest Deus id, quod necessariò connexum est cum sua præscientiâ, seu obiecto suæ præscientiæ: sed quicquid per euidentem consequentiam deducitur ex reuelata, supposita veritate alterius de inesse, est necessariò (saltem ex prædicta hypothesi, siue suppositione) connexum cum principio seu veritate reuelata: Ergo quicquid per euidentem consequentiam deducitur ex reuelata, & altera de inesse, subest diuina præscientiæ reuelanti, saltem ex eadem illa hypothesi, quod propositio illa naturalis sit de inesse; adeoque vera.

Et confirmatur assertio. Quia talis veritas, cum primum propositio de inesse noscitur euidenter vera, potest credi per fidem; cum tamen ex parte obiecti, nulla maior ei certitudo accedat, per naturalem notitiam, siue euidentiâ propositionis de inesse. Exemplum est: Omnis infans ritè baptizatus est in gratia: hic infans est ritè baptizatus: Ergo est in gratia. In quo Syllogismo si propositio minor sit vera de inesse, vt supponitur, quanquam sit in materia contingente, & nobis euidenter non cognita, conclusio illa obiectiuè, habet certitudinem obiecti fidei, siue immutabilitatis & infallibilitatis, fundatam in diuina præscientiâ; seu est certa certitudine obiectiuâ fidei. Idem multò magis dicendum est, de syllogismis quibusdam, in quibus vltraque præmissa est reuelata (de quibus nulla proferus est quæstio) vel vna reuelata, & altera præmissa naturaliter evidens: quales sunt isti: Nullus redemptus à Christo est Angelus: omnis homo est de necessitate fidei à Christo redemptus: Ergo nullus homo est Angelus. Vel: Omnis homo est de necessitate fidei à Christo redemptus: nullus Angelus est à Christo redemptus: Ergo nullus Angelus est homo. Item: Omnis homo est animal: nullus Angelus de necessitate fidei diuina est animal: Ergo nullus Angelus est homo.

4 Nec obstat quod Albertinus loc. cit. coroll. 2. num. 4. & 5. in posterioribus duobus exemplis dicit, conclusionem non esse certam (obiectiuè) de fide, neque sequi certitudine fidei, ex parte obiecti formalis. Quod; etiam stante certitudine fidei alterius præmissæ. Ipse enim eo loco non disputat, an habeat quomodocunque certitudinem obiecti fidei, seu an certa sit de fide certitudine obiectiuâ, quacunque ratione, sed an habeat hæc certitudinem vt deducta, ex parte obiecti formalis. Quod, vt ipse loquitur: quæ rem ipse ibidem plurib. explicat; nos autem

veluti superuacaneam consultò prætermittimus. Nobis enim satis est scire, talem conclusionem habere plane certitudinem obiectiuam fidei; vnde cuncte tandem eam, & quomodocunque habeat; quod ipse non negat, sed asserit ibidem corol. 3. num. 17. vbi tandem fatetur, omnem conclusionem Theologicam; vt expositam per præmissam naturalem euidentem, esse de fide certam certitudine formali seu adhærensionis; siue vt deducta sit de fide ex parte obiecti formalis. Quod, siue non sit. Quod si verò conclusio talis non haberet certitudinem obiectiuam fidei, non posset etiam eius assensus vnquam habere certitudinem formalem fidei; quia assensus fidei, eiusque certitudo formalis supponit in obiecto certitudinem obiectiuam: nihil enim per fidem credi potest, nisi quod sit obiectum fidei, adeoque de fide certum obiectiuè. Atque hæc de primo sensu quæstionis.

5 Assertio II. Vt autem præmissa naturalis, vna cum reuelata, sufficienter proponat aliquid credendum fide diuina; siue quod idem est, vt conclusioni ex eiusmodi præmissis deductæ, siue explicatæ, assentiri possimus certitudine formali fidei, nullo modo satis est, vt præmissa naturalis sit solum probabilis, siue simpliciter de inesse; quantumuis re ipsa sit vera. Hoc supponunt omnes Doctores, quicquid in contrarium dixisse videatur Palatius q. 6. & 9. prolog apud Gillium lib. 1. tract. 2. c. 5. n. 2. Ratio à priori est; quia veritas per fidem credenda, velut à Deo reuelata, ita proponi debet, vt fiat non solum ipsa prudenter quomodocunque credibilis; sed etiam vt contrarium eius secundum prudens iudicium prorsus redatur incredibile; adeoque vt ex vi ipsius propositionis excludatur omnis prudens formido oppositi: cum alioqui fides planè futura sit, aut infirma, aut imprudens; adeoque nulla, vt cum S. Thoma in 2. 2. q. 1. a. 4. ad 2. ex communi docetur. Id autem non fit quacunque ratione probabilis; vt pote cui semper etiam prudenter timere possumus, ne falsum subest; sed alijs firmiter medijs & motiuis, vt suo loco docerur, & fusius persequitur Albertinus loc. cit. num. 7. & seqq. Ratio à posteriori est. Quia alias non solum quisque iustus credere posset fidei certitudine, se esse in gratia; sed etiam quiduis quocunque probabili argumento scripturæ, vel Patris alicuius reddi nobis posset de fide certum; quod planè est absurdum & inauditum. Plura circa assertionem quartam.

Vnde etiam patet responsio ad contrariam rationem, supra pro tertia sententia allatam. Cum enim agatur non de quolibet humanæ, aut naturalis fidei alicuius assensu, quo vtcunque credam, aliquid reuelatum (ad qualem planè sufficit probabile aliquod argumentum) sed de assensu fidei diuinæ prorsus firmo & indubitato, qui omnem prudentem formidinem excludat, non sufficit ad eum quodlibet motiuum probabile.

Sed vrgebit aliquis. Certum nobis est, conclusionem ex vna reuelata, & altera naturali de Inesse deductam siue explicatam, habere certitudinem fidei obiectiuam, vt dictum asserit præced. Ergo certum nobis est, esse ex se idoneum obiectum fidei: Ergo poterit etiam per fidem à nobis credi.

Respondetur primum antecedens, cum proximo consequenti, verum esse in sensu composito, non diuiso; seu quod idem est; conclusionem eiusmodi

habere certitudinem fidei obiectiuam, adeoque esse ex se idoneum obiectum fidei, ex suppositione, quod propositio naturalis sit de Inesse, adeoque vera; cum tamen interim nobis non constet, esse veram; non autem absolute, nullaque suppositione facta. Qua de causa negatur vltimum consequens. Quia ad hoc, vt possit aliquid à nobis per fidem credi, non est satis, vt obiectum ipsum ex se, vel suppositione aliqua nobis incognita, habeat fidei certitudinem; sed vt nobis etiam aliquo modo constet, de tali certitudine, adeoque etiam de suppositione, ex qua ea certitudo dependet; qualis est in præsentī veritas propositionis de inesse.

Eodem recidit illa responsio, si quis dicat, eiusmodi conclusionem habere certitudinem obiectiuam fidei, in actu signato, & in genere; sed non in particulari, & actu exercito; hoc est, de illa in genere vere dici, quod habeat certitudinem fidei obiectiuam: sed prout tamen eiusmodi aliqua conclusio à nobis in particulari formatur aut exercetur; non posse à nobis dici absolute & determinatè, quod habeat, sed solum in cōfuso, quod habeat, aut non habeat; cum de neutro determinatè constet: idque ideo quod in genere de eiusmodi propositione loquendo, supponitur, propositionem illam naturalem esse de inesse: eo ipso, quod de illa sermo est, non de alia: at verò in particulari hoc non supponitur, sed dubium manet; quia in particulari non constat, an hæc vel illa propositio naturalis sit vera, adeoque de inesse.

6 Assertio III. Vt præmissa naturalis vna cum reuelata sufficienter proponat aliquid credendum fide diuina, adeoque vt conclusioni ex eiusmodi præmissis deductæ, vel explicatæ, assentiri possimus certitudine formali fidei, satis est, vt sit certa & euidens moraliter certitudine & euidentiā; quæ nimirum licet talis sit, vt quantum est ex parte motiuorum, seu mediocorum, ei absolute ac physice possit subesse falsum; tamen moraliter, ac spectatis omnibus, non sinit hominem aut dubitare, aut formidare de opposito. Ita, præter auctores secundæ sententiæ, docet etiam Albertinus loc. cit. Imò nec Auctores primæ vniuersim ac re ipsa videntur dissentire, quandoquidem etiam Gregorius de Valentia tom. 3. q. 1. p. 7. §. 29. expressè docet, posse per fidem credi, hunc numero Pontificem esse verè Pontificem: quod tamen non nisi ex vna reuelata, & altera moraliter euidenti potest deduci.

Probatur assertio. Tum quia moralis eiusmodi euidentiā non minus fere obfirmat intellectum ad assensum, nec minorè adeo certitudinem parit, quam ea, quæ in plerisque assensibus scientificis physice aut Ethicæ cernitur. Tum quia cum alicui fides primum proponitur, sufficit, id, quod veluti diuinitus reuelatam proponitur credendum, credibile reddi aliquo miraculo; de cuius tamen veritate vix potest ita constare, quin absolute loquendo, & quantum est præcisè ex natura rei, possit ei subesse fraus & deceptio. Deinde fideles sæpe inducuntur ad credendū ijs motiuis, siue ea propositione externa, cui planè absolute loquendo (prout hic & nunc proponitur & cognoscitur) non repugnat subesse falsum; quandoquidem ad assensum fidei minimè requiritur, vt externa propositio fidei talis sit, cui non possit absolute subesse falsum: vt contra oppositam quandam sententiam, ex instituto docuimus in 2. 2. & defendimus in disp. impressa de fide th. 47. Cum igitur in cæteris eiusmodi

casibus, ex parte medijs proponendis fidem, sufficit moralis euidencia, sufficit probabiliter etiã in syllogismo, ex parte præmissæ naturalis, similis euidencia; præsertim quando ratio nulla adferri potest, cur talis euidencia in proposito non sufficiat. Quibus accedunt rationes pro secunda sententia superius allatæ. Nam de his præmissis, quod Conciliũ Tridentinũ fuerit legitimũ & Oecumenicum; quod Pontifex hic sit legitimè electus & ab Ecclesia vniuersa acceptatus, post tam claram, publicam, & constantem famam & notitiam, habetur moralis euidencia; quocirca supposita altera præmissa de fide, rectè sequitur conclusio explicata de fide, etiam ex parte assensus.

Assertio IV. Sola certitudo moralis præmissæ naturalis, absque euidencia, non sufficit, vt conclusio inde deducta siue explicata, sit nobis certa de fide, certitudine formalis; quam proinde diuina fide credere possimus. Ita auctores primæ sententiæ; nec existimo, eos plus voluisse dicere. Ratio à priori petitur ex ipsa natura fidei supernaturalis. Quia quicquid per fidem creditur, necesse est, vt vel formaliter, vel virtualiter sit reuelatũ: talis autem conclusio nec formaliter, siue in se est reuelata; nec virtualiter: quandoquidem non est necessariò connexa cum præmissa reuelata; sed solũ contingenter; mediante scilicet ea propositione naturali, cui potest moraliter etiã subesse falsum: Ergo non potest per fidem credi. Ratio à posteriori allata est, circa primæ sententiæ probationem. Esto enim possit aliquis ex sanctioribus, etiam citra peculiarem reuelationem, morali quadã certitudine scire, se esse in gratia, vt ex comuni suppono ex 1. 2. post Dominicũ Sotum in Apologia contra Catharinum cap. 2. item post Vegam lib. 9. in Concil. Trident. cap. 46. & 47. Ruardũ Tapperum art. 9. Gregorium de Valentia, & alios esse contrariũ asserat Vasquez in 1. 2. tom. 2. d. 200. c. 8. tamen nulla de hoc, nec moralis quidem euidencia, sine speciali reuelatione haberi potest; iuxta Conciliũ Tridentinum loco cit. sess. 6. cap. 9. asserens, quemlibet, dum scripsit, suamq; propriam infirmitatem ac indispositionem respicit (adeoque omnib9 speciatim, est nonnunquam ob vim præsentis cõsolationis diuinæ, agrè quis possit animum ad ista tristiora demittere) de sua gratia formidare et timere posse. Et hoc tantum, non plus probat Vasquez loco cit. Quia ergo certitudo hæc propriæ dispositionis sufficientis ad gratiam, homini de ordinaria Dei lege in hac vita possibilis, vtcunq; aliquem moralis certitudinis gradum ac modum habeat, caret tamẽ euidencia, idè non potest inde deduci conclusio Theologica, cui certitudine fidei assentiri possimus.

Aliàs si in cæteris materijs, ex parte præmissæ naturalis, sufficeret ea certitudo moralis sine euidencia, non viderem, qua ratione in hac solũ materia nõ sufficeret similis certitudo eiusdẽ præmissæ. Nam quod Albertinus, circa secundã sententiã superius relatus, hanc materiã ideo excipit, quia constat, Deum nolle ob peculiare conditionẽ hui9 materiæ, includere implicite in præmissa de fide reuelata conclusionem eiusmodi de adepta propria gratia, videtur sine firmo fundamento dici. Nam

si conclusio hæc alioquin ex se est sufficienter, connexa cum præmissa reuelata, & vt talis etiam sufficienter proponitur per præmissã naturalem solum moraliter certam, sine euidencia, non voluit vtiq; , ne dicã, nõ potuit, obflare Deus, ne in eadẽ præmissa reuelata cõclusio illa virtualiter includeretur; cũ talis inclusio ex natura rei sequatur, & cõiuncta sit, cũ cõnexionẽ eiusdẽ cõclusionis cũ præmissa reuelata, interueniẽte alia præmissa naturali, eandẽ sufficienti certitudinis gradu explicante.

Atque in hoc genere assensus moraliter certi, absq; euidencia, collocãdi sunt etiam isti assensus; Nos verè esse baptizatos; verè Sacerdotes consecratos &c. tamen Vasquez loco cit. hos assensus annumeret ijs, quibus credimus esse Romam, vel Constantinopolin; quod non placet. Nam de illis possumus moraliter aliquo modo formidare; cũ sit vtiq; moraliter possibile, baptizantem, aut cõsecrantem, non habuisse veram intentionem. &c. Tot autem homines, continua & perpetua serie, conuenisse & conspirasse ad falsum dicendum, de existẽtia vrbs Romæ, aut Constantinopolis, nõ est moraliter vllõ modo possibile. Hic ergo prorsus definit moralis sæultas formidandi, non illic: quamuis nihilomin9 etiã illi assensus sunt & dicuntur moraliter certi, quia agrè formidare possum9 de opposito; & rarò eis cõtingit subesse falsũ: intelligo, nisi vbi specialis dubitãdi ratio suppetat; quã tunc oĩino desinere poterit certitudo moralis.

Obijci potest. Vt præmissa naturalis vna cũ reuelata sufficienter proponat aliquid credendũ fide diuina, sufficit ea præmissa naturalis certitudo, qualis sufficit in externa fidei propositione, ad ipsam fidem primo acceptandam vel exercendã, circa ipsã fidei nostræ mysteria, à Deo imediãtè reuelata: sed in hac propositione fidei sæpe sufficit moralis aliqua certitudo motiuorũ fidei, etiam sine euidencia: Plurunque enim simpliciores credunt, adeoque fidem acceptant & exercent; inducti ad hoc autoritate Maiorum; iuxta S. Thomam 2. 2. q. 2. a. 6. ad 3. quando nimirũ à Maioribus vel prædicatoribus fidei audiunt, fidem nostrã varijs miraculis, per Christum, Apostolos, & deinceps etiã alijs modis in Ecclesia fuisse diuinitus contestatã: aut quando ab ijsdem audiunt, tot sanctitate illustres personas vtriusque sexus, aut fidem hanc suo sanguine consignasse, aut alioquin per eam ad tantum sanctitatis fastigium peruenisse, cum tamen interim nullam habeant moralem euidenciam, vel de miraculis perpetratis, vel de sanctitate Martyrum, aliarumq; personarũ, qui fidẽ Christianã & Catholicam coluerunt; sed quoad hoc credãt solum paucis suis Maioribus, vel prædicantibus; à quibus hoc audierunt; qui talem euidenciam propositæ narrationis progignere nullo modo possent videntur: quandoquidem simili ferè ratione fides etiam falsa, v.g. Lutherana, aut Caluiniana, simplicibus in medio nationis prauæ progenitis & educatis persuaderi potest, & fortè etiã nonnullis ita re ipsa persuadetur.

Respondeo, maiorem propositionem vniuersim non videri veram. Quia tamen quidẽ à propositione illa generali ipsius fidei ad particularem hæc, de qua loquimur, per explicationem præmissæ

naturalis, adiuncta altera præmissa reuelata, faciendam, rectè argumentari liceat negatiuè; ita mirum, vt quæ certitudo ex parte externæ propositionis generalis non sufficit, etiam in altera particulari illa propositione non sufficiat; tamen, affirmatiuè argumentando non est vniuersim par vtriusque ratio. Et prima ratio diuersitatis assignari potest; quia ad credibilitatem ipsius fidei in genere, plurimū confert ipsum lumen fidei, tū actuale, ad gratiam Dei præuenientem pertinens: quo spectat diuinæ mentis illuminationes & inspirationes: tum habituale, in ijs, qui fidem iam habēt; iuxta elegantē doctrinam S. Thomæ in 2. 2. q. 1. a. 4. ad 3. vbi ait: *Lumen fidei facit videre* (sub comuni videlicet ratione credibilis) *ea quæ creduntur. sicut enim per alios habitus virtutum homo videt illud, quod est sibi conueniens secundum habitum illum; ita etiā per habitum fidei inclinatur mens hominis ad assentiendum his, quæ conueniunt rectæ fidei, & non alijs. Qui ibidē etiā a. 3. ad 2. docet, habitum fidei habere se ad principia fidei, sicut lumen naturale ad principia naturalia. Id ipsum docet Gregorius de Valentia tom. 3. q. 1. p. 4. §. 3. argum. 18. vbi dicit: *Experientia constare, credentes ita animo diuinitus affectos esse, vt præcipuè quidem propter nullum argumentum, quod ad fidem persuadendam exterius proponitur, sed propter aliud quiddam diuinum, (nempe ipsum lumen diuinæ veritatis ac fidei) quod alio quodam modo est longe fortius, quam illa argumenta, animum efficiat ad firmiter credendum, moueri se intelligant. Quia verò conclusio, de qua agitur, non est secundū se diuinitus reuelata: nec ex reuelatis principijs necessariò colligitur, licet inde ratiocinatione probabili, & aliquo modo moraliter certa colligatur, nec adeò etiam diuinæ inspirationes peculiare suppetunt, quæ ad hoc diuinæ fidei credendū impellant, esto ad sint quædā animi interna sensa, diuinitus inspirata, quæ probabilitatē, vel vt sumum certitudinē quandam moralem (quæ non tollit morale dubitandi facultatē) suo quodā modo suadeant; ideo cū diuino fidei lumine eiusmodi cōclusio, secundū se, credibilis diuina fide minimè reddatur, fit, vt præmissa naturalis, eo præsidio & quasi fulcro & adminiculo destituta, quantūuis adiuncta præmissæ reuelatæ, minimè sufficiat ad cōclusionē inde deductā fidei certitudine explicandā vel pponendā.**

Altera & fortè solidior ratio diuersitatis, inter vtramq; propositionē est; quia propositio generalis fidei, immediatē eò solū tendit, vt fidē ipsam, seu fidei veritates supposita reuelatione, credibiles reddat; at verò discursus Theologicus eo directè tendit, vt probet conclusionē esse reuelatā; accepta iam alioqui & supposita fide, de ipsis veritatibus immediatē reuelatis. Maior autē certitudo, ex parte medijs, requiritur ad probandū (quantum satis est ad fidem) aliquid esse reuelatum, quod ex fide alioqui generali non dum constat esse reuelatum; quam ad credibilitatem veritatis immediatē reuelatæ suadendam: hic enim nullus omnino assensus supernaturalis, nec vllum principium reuelatum prærequirit: credibilitas enim fidei, cōstat ex motiuis fidei, non vt creditis fide diuinā; alioquin enim daretur processus in infinitum; sed solum vt creditis fide humana, vt suo loco de

fide disputauit thes. 43. cum tamen ad probandum (quantum satis est ad fidem) id esse reuelatum, quod secundum se immediatē reuelatum non est, necessariò ex omnino sententia, in discursu Theologico, requiratur vnum saltem principium reuelatū; seu vna præmissa supernaturalis & reuelata.

DVBIVM V.

Vtrum argumenta contra fidem possunt euidenter solui.

S. Thom. 1. p. q. 1. art. 8.

AD principia, adeoque probationem alicuius scientiæ pertinet etiam solutio argumentorū contrariorū. Occasionem verò huic dubio præbet S. Thomas hic q. 1. a. 8. vbi ait: *Si aduersarius nihil credat eorum, quæ diuinitus reuelantur, non remanet amplius via ad probandum articulos fidei per rationes: sed ad soluendum rationes, si quas inducit contra fidem. Cū enim fides infallibili veritati innitatur; impossibile autem sit, de vero demonstrari contrarium, manifestum est, probationes, quæ contra fidem inducuntur, non esse demonstrationes, sed solubilia argumenta. Vbi cum dicit esse manifestum, quod argumenta contra fidem sint solubilia, planè significat, posse euidenter solui.*

Pro resolutione huius dubij supponendum, argumenta contra fidē duplicis esse rationis; quædā enim peccant vel in forma, contra cōmunes Dialecticorum regulas, supposita etiam cōmuni notione terminorū, qui in argumentatione adhibentur; vel etiam in materia, contra ipsius naturalis rationis ac veræ Philosophiæ dictamen: alia verò peccant, contra solum fidei lumen; quod potissimum accidit ratione materiæ; nonnunquā tamē etiam ratione formæ, ob malam distributionem siue dispositionē terminorum, contra solū itidem fidei lumen. Et de vtriusque quæri potest, an solui possint euidenter tum positiuè, tum negatiuè, vt declarabitur.

Assertio I. Argumenta prioris generis, quæ in forma peccant; sicut in materia contra naturalis rationis dictamen, euidenter solui possunt. Est cōmunis & extra controuersiam. Probatur. Quia illud argumentum euidenter (etiam positiuè) soluitur, quod euidenter demonstrari potest peccare aut in forma, aut in materia: sed de his id potest demonstrari; cum eorum peccatum siue error aduersetur euidenti rationi naturali, siue ad Logicam, siue ad ad aliam Philosophiæ partem spectanti, vt supponimus: Ergo, &c.

Assertio II. Argumenta posterioris generis, quæ scilicet peccant in materia, cōtra solum fidei lumen, non possunt solui euidenter positiuè. Est itidem cōmunis & extra controuersiam. Probatur. Quia ad hoc vt argumentum aliquod in materia peccans dicatur euidenter solui positiuè, necesse est, contradictorium eius propositionis, quæ assumitur, demonstrari: atqui contradictoriū eius propositionis, quæ soli fidei lumini aduersatur, non potest demonstrari; alioquin fides ipsa posset demonstrari: Ergo, &c.

Similis est etiā ratio eorū argumentorum, quæ peccant in forma, contra solū itidē fidei lumen; vt in hac argumentatione accidit: Hæc essentia diuina

est pater: Hac essentia diuina est filius: Ergo filius est pater. Vbi Essentia diuina male vsurpatur, tãquã res seu terminus ita singularis, qui minimè sit communicabilis pluribus; cuius oppositum ex sola fide constat. Idem accidit in hoc syllogismo: Hic Deus generat; intellige patrem: Filius est hic Deus: Ergo filius generat, &c. Ad quæ argumenta euidenter soluenda posituè, necesse foret demonstrari, terminos illos, hæc essentia, hic Deus ita esse singulares, vt tamen sint pluribus personis communicabiles; quod est impossibile. Et hoc solum voluit Durandus q. 1. prol. num. 42. quando absolutè negauit, eiusmodi argumenta contra fidem posse euidenter solui.

Assertio III. Eadem tamen argumenta contra fidem posterioris generis, possunt euidenter solui negatiuè. Ita Caietanus hic q. 1. a. 8. Gregorius de Valentia q. 1. p. 7. Gabriel Vasquez hic disp. 1. 1. & significat ipsemet S. Thomas hic q. 1. a. 8. vt dictum. Etsi negent nonnulli recentiores; qui tamè fatentur, non reperire se, qui eam sententiam expressè asserat. Probatur & declaratur. Quia ad hoc vt argumentum euidenter soluat negatiuè, non est necesse, vt aduersarij posituè redarguatur, & falsitatis conuincatur, sed satis est, vt absolutè negetur propositio fidei contraria; ac simul adducantur rationes ex comunibus fidei motiuis, quibus euidenter ostendatur, eiusmodi argumento, seu propositione opposita non obstante, oppositum multò credibilius esse, ideoque etiam illam rectè ac prudenter negari; nec quenquam ei prudenter assentiri posse; adeoque nec vllam veram euidentiam habere; etsi quidem nec falsitas illius eui-

denter pateat. Quæ omnia necessariò sequitur ex eo, quod non obstantibus eiusmodi argumentis, fides ipsa, & opposita fidei veritas nihilominus euidenter credibilis est, veluti nitens altiori lumine; cui proinde meritò adharendum sit. Quod verò recentiores illi contrarium sentientes ad euidentem solutionem argumenti etiam negatiuam, requirunt, vt euidenter fiat, id re ipsa non concludere, sed falsum assumi, sine causa faciunt. Satis est, quod euidenter fiat, id non esse dignum fide, sed oppositum; non obstante ea, quam præferre videtur, euidentia: quo ipso iam etiam euidenter fit, id re ipsa pro demonstratione non esse habendum; adeoque hoc sensu etiam non concludere.

Ex quibus etiam facile colligitur, an & qua ratione argumenta contra fidem in actu signato dici possint solubilia. Nã generatim ac in sensu cõposito, euidenter est, argumenta contra propositiones à Deo reuelatas esse solubilia; eo ipso quod hac ratione supponitur, ea aduersari diuinæ veritati reuelati; vnde euidenter sequitur esse falsa: at verò in particulari, ac in sensu diuiso non item, nisi negatiuè, modo explicato: quia non est euidenter, oppositum huius vel illius propositionis reuelatæ esse falsum; licet per eam motiua fidei euidenter sit, nihil ei contrarium esse fide dignum, vt dictum est.

Atq; hæc de principijs Theologiæ, eiusque necessitate, natura, proprietatibus & attributis, adeoque tota hac disputatione præciali sufficiat. Nunc ipsa Tractatione obiecti Theologiæ particulatim aggrediamur, & persequamur; quod ordine fiet sequentibus disputationibus.

INDEX DISPUTATIONIS II.

DE DEO, ET ATTRIBUTIS DIVINIS.

Quæstio I. De Existentiã ac Essentiã Dei.

Dubium I. Quæ sit notio nominis Dei.

II. An Deum esse, sit per se notum.

III. An, & qua ratione demonstrari possit, Deum esse.

IV. Quibus rationibus demonstratur, Deum esse.

V. Quæ sit ratio Essentiæ Diuinæ; & an formaliter includat Existentiã, aliasq; perfectiones quasdam Dei essentielles.

Quæstio II. De Attributis diuinis in genere.

Dubium I. Quid nomine attributi diuini intelligatur; & quam sit attributorum diuinorum partitio.

II. An diuina attributa tam ab essentiã diuinã, quam inter se à parte rei distinguantur.

III. An attributa diuina in se & ab essentiã distinguantur ratione, ac etiam virtualiter; & quo fundamento.

IV. Primum perfectiones diuina distinguantur solum per respectum ad creaturas; ac ratione nostrã: an etiam ratione sue intellectiõne Dei, & beatorum.

V. An diuina attributa, sint de ratione, quidditate, & conceptu diuinæ essentiæ.

VI. Primum Essentiã diuinã sit de ratione attributorum; & hæc omnia & singula de ratione & quidditate singularum.

VII. An, & qua ratione attributa tam de diuinã Essentiã, quam hæc de illis, atq; etiam illa de se mutuo præ-

dicari possint in abstracto.

Quæstio III. De Simplicitate, Perfectione, & Bonitate Dei.

Dubium I. An Deus omni modo sit simplex & incompositus.

II. An & qua ratione Deus sit Ens vniuersale perfectissimum.

III. An & qua ratione Deus sit summum bonum.

Quæstio IV. De Infinitate ac Immenstatate Dei.

Dubium I. An & qua ratione Deus sit infinitus, secundum Essentiã; & in quo hæc infinitas consistat.

II. Primum possibile sit infinitum actu; siue secundum multitudinem & numerum: siue secundum magnitudinem & extensionem: aut etiam intensionem.

III. An & qua ratione Deus sit immensus, & ubiq; præsens.

IV. Primum Deus sit etiam in spatiis aliquibus extra cælum.

Quæstio V. De Immutabilitate, Eternitate, & vnitatem Dei.

Dubium I. An, & qua ratione proprium Dei attributum sit, esse immutabilem.

II. In quo consistat attributum Aeternitatis; & qua ratione Dei proprium sit.

III. An & qua ratione proprium Dei attributum sit, esse vni-